63
L
51

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
19 — H
52

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

63 63
C c
51 19

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BARTHOLOMÆI FISEN
E SOCIETATE IESV.

ORIGO PRIMA FESTI CORPORIS CHRISTI EX VISO SANCTÆ VIRGINI IVLIANAE DIVINITVS OBLATO.

LEODII,
Typis IOANNIS OVWERX, Typog. iurati.
Sub S. IGNATIO. M. DC. XXIX.
Cum Gratia & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS,
REVERENDISSIMIS,
GENEROSISQ; DOMINIS

PRÆPOSITO, DECANO,

TOTIQVE COLLEGIO
INSIGNIS ECCLESIAE
LEODIENSIS.

EXimia ſunt Eccleſiæ Leodienſis ornamenta, quæ à maioribus magnâ virtute parta, poſteri nõ minore laude, ad noſtram ætatem, iam inde à temporibus Apoſtolorum, in magnâ rerum viciſſitudine, integra ſeruare, adeoq́; augere ſtudue-

Digitized by Google

runt. Sanctitatem in capita cen-
ſere, faſtidium crearet. ſolos Epiſ-
copos numeramus plures triginta,
quos Sãctorum catalogo inſcriptos
Eccleſia veneratur. Eorùm, qui
Diuinorum, humanorumq́ cogni-
tione clari, ſcriptis in publicum da-
tis, nomen ſuum, vnàq́ patriam il-
luſtrarunt, ea eſt multitudo, glo-
riaq́, vt proprio, iuſtoq́ volumine
parari in lucem audiam. Sancti-
tatis porrò, ſimulq́ ſapientiæ no-
mine, ad ſummum totius Eccleſiæ,
Deoq́ proximum apicem, è Leo-
dienſis Eccleſiæ gremio quinque
ſunt euecti: plures ad auguſtum
Cardinalium Senatum. Sed lon-
gè plurimos Eccleſiæ variæ delege-
runt,

Digitized by Google

runt, à quibus regerentur, & è turbatiſſimo ſtatu deducerētur in tranquillum. Quibus effectū crediderim, vt multi è vicino Principes, Reges, Cæſares, non opes modò, ſingulariaq́ꝫ priuilegia indulſerint; ſed ditiones ſuas aliquādo totas, adeòq́ꝫ ipſos ſe ſubdiderint huic Eccleſiæ. Certum, iuxtà ac nobile eſt, Carolum, illū verè Magnum, & Occidentalis Imperij reſtauratorē, Aquiſgrani, intra eiuſdē Diœceſeos fines, Regiam ſuam ſtatuiſſe. Principes verò, Marchiones, Duceſq́ꝫ, ac Comites, ab antiquo plures quadragenis Diœceſi huic accenſi ſunt, ac eorum plerique etiam ſubditi. Quæ vt vera

*ſunt, Eccleſiæq́ Leodienſis maje-
ſtatem clarè demonſtrant, vtinam
vitam mihi, vireſq́ Deus relin-
quat, quibus hæc mundo teſtari
poſſim. Verùm, ne rerum magni-
tudine fortaſsis obruar, meipſum
periclitaturus, ab ijs ordior, quæ
mole quidem minora ſunt, gloriam
tamen non minorem pepererunt,
ac inter nobiliſsima Leodiēſis Ec-
cleſiæ decora, meo quidem iudicio,
cenſenda ſunt. Etenim quî nega-
ri poſsit, longè glorioſiſsimum eſſe,
Leodio primam duci originē Feſti*
CORPORIS CHRISTI,
*quod hodie Chriſtianus orbis v-
niuerſus, religioſiſsimo cultu, appa-
ratuq́ lætiſsimo celebrat, ac vene-
ratur?*

Digitized by Google

ratur? Patrijs ferme ſepulta tene-
bris ad hunc diem iacuit hiſtoria,
quam pro captu proferre in lucem
aggredior, veſtris auſpicijs, Illu-
ſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Do-
mini. Quò enim me conuertam
potiùs? Veſtrum eſt, ſi quod eſt
Leodienſis Eccleſiæ decus: quod ex
hac hiſtoriâ non poteſt non exiſte-
re celeberrimum. Collega veſter
fuit VRBANVS IV. Pontifex
maximus, qui Feſtum hoc primus
edicto propoſito per totam Eccle-
ſiam indixit. Inſiſtebat nimirum
ſanctiſsimus Pontifex maiorum
ſuorum veſtigijs, NICOLAI
II. Pontificis item Romani, DV-
RANDI Epiſcopi, ADEL-

MANNI, ALGERI: *qui ex eodẽ* S. LAMBERTI COLLEGIO (*uti mox ipſâ præfatione docebimus*) *fortiſſimè aduerſus damnatam Berengarij impietatem, catholicam de ſacroſanctâ* EVCHARISTIA *veritatẽ propugnarunt. Adeòq́ ; neſcio quo nexu coniunctum videtur cum Illuſtriſſimo hoc Collegio ſtudium tuendi, propagandiúe honoris auguſtiſſimo* SACRAMENTO *debiti. Ab antiquâ enim maiorũ religione nihil degeneratis poſteri. ſanctiſſimæq́ ;* EVCHARISTIAE, *uſi & ſacrorum ceterorum dignitatem, non modò calamitoſis his temporibus, ab hæreticorum ſacrilegijs vindicaſtis; verùm nouis in-*

ter orthodoxos honoribus auctam veſtrâ munificẽtiâ videmus. Auitum itaq; decus, non ſucceſsione dũtaxat, ſed propriâ maximè virtute, veſtrum feciſtis. vt rationi conſentaneum videatur, libellum hunc VEN. EVCHARISTIAE *ſacrũ, ijs inſcribi, ad quos celeberrimum eius Feſtum præcipuo quodam iure ſpectat. Eodem igitur iure veſter, in publicum eat, veſtris auſpicijs. & quod perpetuâ à maioribus per tot ætates ſucceſsione accepiſtis exemplum ornandi ſacratiſsimi huius Feſti, religiosè non minùs quàm feliciter auctum, pergite ad poſteros tranſmittere.*

Ita voueo, & precor

BARTHOLOMAEVS FISEN
è Societate IESV.

Digitized by Google

IMMORTALI DEO
MORTALIVM VIATICO.

CHriſti ſancta caro, ſummi caro plena ſtuporis,
Plena voluptatis, plena timoris, aue.
Cuncta Paleſtinæ ceſſent libamina gentis,
Vnica pro multis hoſtia ſacra manes.
Rex conuiua ſedes, te das, te porrigis ipſe:
Vnum mille ſimul corpora, corpus alis.
Sumeris, & ſumptus rurſum ſine fine reſumi,
Nec tamen abſumi, diminuiúe potes.
Te Rex Melchiſedec, te victima Paſchatis Agnus,
Te cibus Heliæ, dulceque manna refert.
O ſacra! quæ vitam præſtas, mortemq; repellis,
Erigis è terris, & ſuper aſtra locas;
In carnem ſuſcepta Caro, carnalia tolle
Omnia, paſce, foue, conſociaque Deo.

APPROBATIO.

Originem Sacratiſſimi Feſti Venerabilis SACRAMENTI CORPORIS CHRISTI, *quam Reuerendus in Chriſto* P. BARTHOLOMAEVS FISEN, *Conciuis noſter, Societatis* IESV, *eleganti ſuo ſtylo acceptam meritò refert à Conciue pariter noſtrâ Sanctâ* IVLIANA *Virgine, autoritatem interponente* VRBANO IV. *Eccleſiæ Leodienſis, dum ante Apoſtolatus apicem apud nos ageret, Archidiacono, digniſſimam iudico, quæ identidem prælo committatur. Datum 5. Kal. Nouemb. Anno reparatæ ſalutis 1628.*

IO. A CHOKIER Eccleſiæ Cathed. Leod. Canonicus ac Vicarius in Spiritualibus Generalis.

Digitized by Google

SVMMA CAPITVM.

CAPVT PRIMVM.

N*Aſcitur Iuliana; & quinquennis in Cœnobium Cornelianum admittitur.* folio 1.
Cap. 2. *Quando conditum, cuiuſúe fuerit inſtituti Cœnobium.* fol. 4.
Cap. 3. *Dimittitur in villam Iuliana, & virginis Sapientiæ diſciplinâ excolitur: egregiumq́ dat indolis ſpecimen.* fol. 7.
Cap. 4. *Sacrorum librorum lectione, atque in primis S. Bernardi, multùm proficit.* fol. 12.
Cap. 5. *Inſigni ſui victoriâ, boum curam ſibi depoſcit, & exequitur.* fol. 14.
Cap. 6. *Magno fructu Martham Mariæ ſociat.* fol. 18.
Cap. 7. *Donatur diuinitus incenſo amore in* VEN. SACRAMENTVM, *& viſo quodam turbatur.* fol. 23.
Cap. 8. *Sanctitatis opinione celebratur, & à multis conuenta, quomodo ſe habeat.* fol. 27.
Cap. 9. *Mirandâ religione in ſanctum Miſſæ Sacrificium afficitur.* fol. 29.
Cap. 10. *Poſt ſacram Communionem omne colloquium vitat. Diuinitus ei aperitur cæleſte decretum de Feſto* CORPORIS CHRISTI. fol. 32.
Cap. 11. *Graue teſtimonium de virginibus iſtius ætatis: ac de ipsâ Iulianâ.* fol. 36.
Cap. 12. *Quâ affectione animi, feſta Chriſti, ac in*

primis

primis patientis, & in cælos adſcendentis ſoluerit: item Magnæ Matris. eiuſq; amor. fol. 38.

Cap. 13. *Annos triginta ieiunat, parciſsimo cibo, ſomnoq; contenta.* fol. 44.

Cap. 14. *Sanctis collocutionibus multos, Euamq; in primis iuuat.* fol. 47.

Cap. 15. *Magnâ caritate, quâ in homines ardebat, multis opem è cælo efflagitat.* fol. 52.

Cap. 16. *Multa, & diu à dæmone patitur. verùm tuetur ſe vi magnâ: vinctumq; etiam flagris cadit.* fol. 58.

Cap. 17. *Eximio ſtudio mortuos iuuat. quorũ ex hac vitâ tranſitum, mirandis modis cognoſcit.* fol. 61.

Cap. 18. *Abſentia reuelat, & prædicit futura.* fo. 63.

Cap. 19. *Hominum animos intelligentiâ peruadit.* fol. 67.

Cap. 20. *Raptus in Diuina patitur.* fol. 71.

Cap. 21. *Grauiter deplorat peccata ab hominibus commiſſa. & quomodo ſe ream omnium iudicaret.* fol. 74.

Cap. 22. *Cœnobio præficitur: & magnâ laude munus implet.* fol. 76.

Cap. 23. *Peruerſa dum corrigit, multa patitur.* fol. 79.

Cap. 24. *Diuinâ tandem iuſsione adigitur ad initium Feſto nouo dandum.* fol. 82.

Cap. 25. *Rem totam, vt ſe habebat, Euæ aperit, prima inter mortales: orituraſq; prædicit procellas.* fol. 87.

Cap. 26. *Tanti negotij participem inſuper adſciſcit Iſabellã, quæ & diuinitus idem edocetur.* fol. 90.

Cap.

Cap. 27. *Virorum grauium ſententiam exquirit; & obtinet.* fol. 93.

Cap. 28. *Feſti noui officium committit ſcribendum iuueni cuidam, qui Numinis ope feliciter exequitur.* fol. 98.

Cap. 29. *Res in vulgus ſparſa, magnos excitat motus in Iulianam. Aduerſus quos præſidia quærit Coloniâ, Tungriſúe, ac Traiecto, à Sanctis, quorum ibi templa, ſacraúe reliquiæ coluntur. Dæmon iter impedire fruſtra nititur.* fol. 101.

Cap. 30. *Domi nouam excitat procellam ſacrilegus Prior. Orituram longè antè viderat Iuliana.* fol. 105.

Cap. 31. *Plebem Leodienſem in ſuam cauſam Prior trahit; eiuſq; vſus furore, vim parat, domumq; Iulianæ diruit.* fol. 108.

Cap. 32. *Cùm neque hîc ſiſteret odium, cedendum exiſtimauit Iuliana. Inſigni humanitate ad S. Martini recipitur.* fol. 111.

Cap. 33. *Eius innocentia Epiſcopi ſententiâ probatur. Aduerſario Hoium ob ſcelera relegato, alius ſufficitur.* fol. 113.

Cap. 34. *Reſtituta, frequenti virorum, etiam Principum congreſſu celebratur, ex virtutis admiratione.* fol. 117.

Cap. 35. *Epiſcopus ex voto Iulianæ, Feſtum nouum promouere velle ſignificat. nec tamen ab eâ monitus, petitione Remenſis Archiepiſcopatus abſiſtit.* fol. 121.

Cap. 36. *In Synodo diœceſanâ Feſtum Robertus Præſul iam decreuerat; cùm lethali morbo correptus,*

ſacro-

Digitized by Google

ſacroſanctum tamē Officium coram ſe peragi vult; & moritur: non præter Iulianæ mentem. fol. 124.

Cap. 37. *Obtinet Eua Roberti decretum à Martinianis Canonicis recipi. qui omnium primi Feſtum* CORPORIS CHRISTI *celebrant, ſingulari Iulianæ ſenſu.* fol. 131.

Cap. 38. *Noua turbæ. Sceleratorum factione reuocatus ab exilio Prior reſtituitur; & noua ſurgit tempeſtas.* fol. 133.

Cap. 39. *Cùm fortiter Iuliana pro domo Dei ſtaret, rurſum deſtruitur ab aduerſarijs eius habitatio: & quomodo id tulerit.* fol. 136.

Cap. 40. *Odio hoſtium ingraueſcente, cedit: & inſtante peruicaciùs aduerſario, nuſquam conſiſtere permittitur, dum patriâ tandem abeat. Eius in aduerſarios pietas.* fol. 139.

Cap. 41. *Sponſæ ſuæ cauſam Deus ſuſcipit, Leodiũq; horrendâ clade caſtigat.* fol. 143.

Cap. 42. *Namurcum venit Iuliana, viuitq; in magnâ egeſtate. Item ſe, ſuaſq; ſubijcit Antiſtitæ Salſinienſi.* fol. 145.

Cap. 43. *Fumus ingens ex orantis capite exſurgit. Sodalibus futuram ſe prædicit ſuperſtitem. è quibus binæ moriuntur. cum tertiâ ſe recipit Salſiniam.* fol. 148.

Cap. 44. *Inter hæc Leodium cùm veniſſet Hugo Cardinalis, Officium de* VEN. SACRAMENTO *probat: Feſtum indicit, & celebrat ipſe in S. Martini.* fol. 151.

Cap. 45. *Cardinalis oratione perſuaſus S. Martini Canonicus, vectigal aßignat Feſto annuè celebrando.*

brando. quem ad hoc Leodij prouidentia Numinis detinuiſſe videtur, prodigio mirabili. fol. 155.
Cap. 46. *Feſtum diplomate confirmat Hugo Cardinalis.* fol. 159.
Cap. 47. *Suam autoritatem deinde Petrus Capoccius adiungit, Pontificius item Legatus. Aduerſarij à Deo ſeuerè puniuntur.* fol. 163.
Cap. 48. *Singulari ſtudio fertur Iuliana in B. Virginis Canticum. Multa vaticinatur.* fol. 166.
Cap. 49. *Iſabella moritur. quam auxilio non egere mortalium, iudicat Iuliana; Leodioq́ꝫ euocat Ermentrudem.* fol. 170.
Cap. 50. *Viſitur à Ioanne quondam Priore Corneliano. felicemq́ꝫ eius mortem prædicit.* fol. 172.
Cap. 51. *Res etiam Namurci turbantur, pudendâ ex causâ.* fol. 174.
Cap. 52. *Inſtantem cladem præſentit Iuliana; prædicit: & precibus ad Deum fuſis, auertere nititur.* fol. 177.
Cap. 53. *Salſinienſium fuga Iulianam acerbiſſimo dolore percellit.* fol. 179.
Cap. 54. *Ab Antiſtitâ Salſinienſi Foſſas deducta, humaniter excipitur.* fol. 182.
Cap. 55. *Lethali morbo correpta, intimorum amicorum expetit colloquium: fruſtra.* fol. 184.
Cap. 56. *Ipſo Paſchatis die, ad templum deducta, ſanctiſſimo* EVCHARISTIAE *Viatico munitur. domiq́ꝫ inungitur Oleo ſacro.* fol. 187.
Cap. 57. *Diuinitus edocta diem ſuum, obit in conſpectu Sacræ* EVCHARISTIAE. fol. 189.
Cap. 58. *Sanctum Beatæ Virginis corpus defertur*
Villa-

Digitized by Google

Villarium, in Brabantiam; ibidemq́ſepelitur. fol. 192.

Cap. 59. *Miraculis poſt mortem clareſcit Iuliana.* fol. 195.

Cap. 60. *Vrbanus 4. Leodij quondam Archidiaconus, Pontifex Summus creatur.* fol. 198.

Cap. 61. *Rogante Henrico Epiſcopo Leodienſi, Feſtum* CORPORIS CHRISTI *confirmat Vrbanus: & Leodij per totam Diœceſim celebratur.* fol. 201.

Cap. 62. *Vulſinijs mirum mirandum proferendo per totam Eccleſiam Feſto præbet occaſionem.* fol. 203.

Cap. 63. *Vrbanus 4. Feſtum* CORPORIS CHRISTI *in vniuerſâ Eccleſiâ celebrari præcipit. Officium à S. Thomâ conſcribitur.* fol. 206.

Cap. 64. *Apoſtolico diplomate Feſtum* CORPORIS CHRISTI *ſancitur.* fol. 209.

Cap. 65. *Vrbanus Euæ ad S. Martini clauſæ ſuum de nouo Feſto decretum nuntiat, & gratulatur.* fol. 217.

Cap. 66. *Collegium Canonicorum S. Martini, partum antè honorem, pari pietate ſtrenuè tuetur.* fol. 220.

Cap. 67. *Vrbani morte, publicæq́ rei tumultibus, ſeponitur Feſti mentio: ſed minimè Dei prouidentiâ deſtituitur.* fol. 223.

Cap. 68. *Iterum indicitur per vniuerſam Eccleſiam Feſtum.* fol. 226.

Cap. 69. *Recipitur tandem ab vniuerſis: nouiſq́ honoribus augetur.* fol. 229.

PRÆFA-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

INter illuſtriora Diuinæ pie-
tatis in hominum genus argu-
menta, non aliud ęquè nos af-
ficere poſsit, & debeat, ac il-
lud, quo in auguſtiſsimo, Di-
uinoq; ſacroſanctæ EVCHARISTIAE Sa-
cramento, ad humanæ gentis ſolatium, at-
que adeò in eſcam, *vſque ad conſummationem*
ſæculi præſentem ſiſtere ſe cõſtituit. Quam-
obrem eximium ſemper ego in Belgicam
noſtram beneficium exiſtimaui, quando in
eius finibus, toties cæleſtis huius Myſterij
veritatem, portentis tam admirabilibus, æ-
tateſque iam aliquot perdurantibus, ſupra
omnem naturæ legem, placuit comproba-
re. Quibus videtur effectum, vt non labes
dumtaxat * Tanchelini pudendis dogma- 1.
tibus, nobiliſsimæ vrbi Antuerpianæ, im-
mo toti patriæ quondam impreſſa, gloriâ
maiore perpurgetur: ſed maximè aduerſùs
impietatem hæreticorum, hac ætate obfir-
mentur Orthodoxi. Nam in primis * Duaci 2.
in templo S. Amati ſacra ſeruatur in ho-
diernum diem HOSTIA; quam ſub annum

Belgium nobile multis S. Euchariſtiæ miraculis.

Duaci anno 1260

Domini milleſimum ducenteſimum ſexa-
geſimum quicumque intuebantur, nullo
diſcrimine omnes, Chriſtum Dominum,
vel infantis ſpecie, vel inter cruciatus, aut
iudicem ad tribunal venientem, aut alio
quouis modo videre ſe teſtabantur. At in
3. *Herken-roda* 1317 agro Leodienſi * Herkenrodæ SACRA
HOSTIA colitur, iam inde ab anno mille-
ſimo trecenteſimo decimo ſeptimo: quæ
dum eo deferretur, per agros à brutis ani-
mantibus vndique concurrentibus, cultum
accepiſſe viſa eſt: ipſaque æra campana ne-
mine mortalium impellente aduentum ce-
lebrarunt; & Sacerdos ad aram faciens, rei
ignarus, Diuino tamen impulſu, ab altari
conuerſus ad VEN. SACRAMENTVM,
quod obuolutum in ædem ſacram inferc-
batur, magnâ corporis inclinatione ado-
rauit. atque in hodiernum diem pluribus
miraculis clareſcit. Sub annum eiuſdem ſe-
4. *Amſtelre-dami* 1345 culi quadrageſimum quintum * Amſtelre-
dami idem ille PANIS ANGELICVS ab
ægroto cum phlegmatibus ſtomacho reie-
ctus, in caminum immiſſus ardentem, cùm
nihil à flammis lædi viſus eſſet, ſingularem
quidem tum honorem à ciuibus accepit;
ſed ætatis ſequentis anno quinquageſimo
ſecundo, inter incendia conflagrantis ædis,
in quâ ſeruabatur, fluentibus circumquaq;
ardore metallis, permanſit illæſus; plurimiſ-
5. *Louanij* 1374. que deinde claruit miraculis. * Louanij
Patres

Patres Auguſtiniani nobile pignus Catholicæ veritatis habēt, SACRAM HOSTIAM olim in carnem mutatam, in ore hominis ſacrilegi, anno ſeptuageſimo quarto, Middelburgi in Zelandiâ; multiſque miraculis celebrem, annuâ ſupplicatione venerantur. Coluntur item * Bruxellis religione magnâ ternæ HOSTIAE, anno eiuſdem ſeculi ſeptuageſimo nono, ſacrilegâ immanitate ferro transfixæ à Iudæis; quæ tum quidem ſanguinem fuderūt, illius verò notas etiam hodie retinent, religioſiſsimoque Principum, & populi concurſu celebrantur. 6. *Bruxellis 1379.*

Verùm hæc Numinis ipſius patrantis opera mirabilia ſunt. Quibus tamen minimè deſunt inſignia teſtimonia Belgicę religionis in ſanctiſsimum, & omni cultu venerandum CHRISTI IESV CORPVS, SANGVINEMVE. Nam cùm veritas Catholica ab ipſo Chriſto, per aliquot ætates in poſteros intaminata profluxiſſet; * nonoq; demum labente ſeculo, nubeculas puriſsimo ſoli offudiſſent quidam, dubitando potiùs, quàm dogmatis Orthodoxi veritatem conuellendo: Berengarius Andegauenſis Archidiaconus, poſt annum milleſimum, furijs execrandis agitatus, * in Occidente claſsicum inſonuit, & ſecuturis deinde tot monſtris tartareis ducem ſe præbens, ſacrilego bello Myſterium hoc ſacratiſsimum laceſsiuit. Sed quod toti Belgio eximi-

Sed nobilius, quòd primos dederit aduerſus Sacramētarios propugnatores. 7.

8.

gloriam pareret: *prima ſpicula in virulentum*
draconem (ait Baronius) *vibrata ſunt à nobi-*
9. *liſsimâ Eccleſiâ Leodienſi, Catholicæ fidei tena-*
Durandũ *ciſsimâ. in primis verò ab eius* * *Epiſcopo Duran-*
do: necnon ab eiuſdem Eccleſiæ Scholaſtico, inde
10. *verò Brixienſi Epiſcopo* * *Adelmanno. reliqui*
Adelmã-num, *aduersùs eundem* * *longè poſtea conſcripſere.* V-
11. 12. triuſque exemplum adeò feliciter * ſecu-
Algerum, tus eſt Algerus, ex eiuſdem item Eccleſiæ
clero, vt contra hæreſim Berengarij *optimè,*
pleniſsimè, perfectiſsimè ſcripſiſſe, Petrus Clu-
13. niacenſis affirmet. * Nicolaus denique ſe-
Nicolaum ſecũdum; cundus Romanus Pontifex, olim & ipſe
Leodienſis Eccleſiæ Canonicus, ipſum Be-
rengarium Romam venire, atque in cele-
berrimo centum, & tredecim Epiſcoporum
conſeſſu publicè errores ſuos eiurare, &
cum anathemate deteſtari, Ioanniſque Sco-
ti ſcripta, vnde virus hauſerat, flammis ma-
nu tradere propriâ compulit. Quorum o-
peram ſtrenuè collocatam in tuendâ ſan-
ctiſsimi SACRAMENTI veritate, ac ho-
nore, viſus eſt Deus munere non minùs il-
luſtri compenſare. Nam quando prouiden-
tiæ Diuinæ placuit, primam Venerabilis
ſed maximè Iulianam. EVCHARISTIAE originé proprio quo-
dam Feſto venerandam populo Chriſtia-
no proponere; virginem Leodienſem dele-
git ad id orbi nuntiandum: nouumque ſa-
crum in eâ Eccleſiâ primùm omnium cele-
brari conceſsit. Quod etſi decus non leue
debeat

debeat exiſtimari; ſcriptorum nihilominus turpi negligentiâ factum eſt, vt nulli olim exterorum hiſtoricorum innoteſceret. Quorum omnium alto ſilentio ſubnixus Onuphrius Panuinius, totam hanc, de quâ aliquid inaudierat, hiſtoriam auſus eſt pernegare. In ſuis enim ad Platinam Annotationibus, in Vrbano quarto, cùm occaſione Vulſinienſis miraculi, de quo poſtea dicemus, nouos, ſolemneſq; CORPORI CHRISTI honores à Pontifice decretos eſſe demonſtraſſet; in hæc verba concludit: *Quanquam non me lateat quoſdam eſſe, qui neſcio quid, de quâdam muliere ſanctâ moniali Recluſâ, nomine Euâ, fabulentur. Quorũ ſententiam nihil moror; cùm, quod ſuprà dixi, vulgariſsimum ſit.* Ita ille. Qui ſanè, meo quidem iudicio, cùm nullum aliud in cauſam ſuam producat argumentum, temere rerum ſacrarum ſcriptorem fabulari pronuntiat. Quòd ſi liceat in Hiſtoricos ſacros, quæ denique fides erit, tam multis, mirabilibuſque portentis, quibus plenæ ſunt Sanctorum Hiſtoriæ? An nouum, & inauditum eſt, Sanctis hominibus ſignificari à Cælitibus, quæ poſt aliquot etiam ætates ſecutura ſunt? At vulgariſsimum eſſe vult; immo veriſsimum eſto, quod dixit; non equidem abnuo. Verùm quid ex eo neceſſe eſt, falſum id eſſe, quod vt fabulas damnat? Nunquamne igitur ad idem effectum plures cõſpirant cau-

huic viſum diuinitus oblatum eleuat Onuphrius;

temere.

Digitized by Google

ſæ? Nunquamne ad conſtituendam rem quampiam pluribus inducimur rationibus? Ego verò dum hanc ſequor, & propugno ſententiam, non Onuphrij modò opinionem non reijcio, ſed alias præterea huius conſtitutionis cauſas libens amplector. Immo ipſe Onuphrius, ſi attentiùs Pontificis Vrbani quarti diploma expendiſſet, nullum ibi miraculi ſui deprehendiſſet veſtigium; noſtram verò ſententiam diſertis verbis vidiſſet confirmatam. Sic habet: *Intelleximus autem dum in minori eſſemus officio conſtituti, quòd fuerat quibuſdam Catholicis diuinitus reuelatum, Feſtum huiuſmodi generaliter in Eccleſiâ celebrandum.* Quibus verbis planiùs Hiſtoriæ noſtræ veritatem Pontifex confirmaſſet? Vrbanum enim quartum, qui ante Pontificiam thiaram Iacobus Pantaleon appellabatur, Archidiaconum olim Leodij

Contrà facit Vrbanus quartus:

14. fuiſſe, * ſcripta ibidem eius nomen præferentia, conſtans fama, ſcriptorumque conſenſus euincunt: neque adhuc mihi occurrit, qui negaret. Et quanquam multis peragratis regionibus, per varios gradus, ad ſummum tandem omnium conſcenderit; nuſquam tamen alibi leuiſsimâ famâ, vel ſcriptoris cuiuſcumque relatione accepimus, aliquid hac de re diuinitus nuntiatum fuiſſe. Contrà Leodij adeò certa ſunt hæc omnia, vt nemo ſanus ambigat; nemo puer ignoret. Non omnem tamen veniam arbitror

tror ijs negandam eſſe, qui, vt inquit Mola-
nus, ignorarunt, *quæ in angulo ferè mundi con-* *pluresq;*
tigerunt. maximè cùm noſtratibus ſubinde *ſcriptores*
non ſatis animi fuiſſe videatur, ad res alio-
qui nobiles, pro merito celebrandas.

Si enim Placentium (qui ſub annum mil-
leſimum quingenteſimum vixit) ſcripto-
rem non admodum illuſtrem exceperis,
neminem reperio ante annum eiuſdem ſe-
culi nonageſimũ, qui typis Hiſtoriam hanc
in publicum miſerit. Et quanquam * non 15.
defuerint olim, qui ſcriberent; nihilomi-
nus alij publico ſe non commiſerunt, re-
tentis intra priuatos parietes laboribus ſuis;
aliorum conatus deſtituit fama, patrijſque
finibus concluſit. Ij non pauci fuerunt, &
antiquâ ſimplicitate fidem indubitatã pro-
meriti, in eandemque conſtanter ſenten-
tiam conſpirantes, Hiſtoriam hancce no-
ſtram litteris conſignatã, ad poſteros tranſ-
miſerunt.

Quæ omnia ſi in vnum congerantur; ſi
perpetua à trecentis quinquaginta retro
annis delapſa ad nos fama, ſi varij ſingulis
ætatibus Scriptores, ſi validiſsima argu-
menta, quæ ex totius Hiſtoriæ decurſu qui-
uis eruere poterit, animo veritatis ſtudio-
ſo pertractentur; non niſi temere quiſpiam
de rei veritate dubitare poterit. Primo ni-
hilominus ſtatim limine diſputandum eſſe
exiſtimaui, ne ſolâ fortaſsis inſcriptione

Lector auerteretur, qui aliam huius Feſti originem apud alios, noſtrâ hac prætermiſsâ, aut verò etiã reiectâ, deprehendiſſet.

Porrò cum S. Virginis Iulianæ vitam alij, alij ſanctiſsimi Feſti exordia ſibi ſumſerint ſcribenda; vtrumque libens ego coniunxero. neque Lectori facturum me ſatis arbitror, ſi B. Iulianæ vitam exorſus, ſimul originem Feſti, cuius tam frequens fuiſſet mentio, ad extremum non perſequerer. aut hanc quidem accuratè, diligenterque pertexerem; ſed carptim dumtaxat attingerem Iulianæ res geſtas; cùm tamen non abs re videretur, eius mores, viuendique inſtitutum penitus noſſe, quæ tantæ legationi fuerit æterni Numinis cõſilio deſtinata; atque in eâ obeundâ totam triuerit ætatem.

Ceterùm quemadmodũ multa in hiſtorijs occurrunt, quæ lectoris ſuſpendant animum, & ad pleniorem rerũ intelligentiam, accuratam exigant explicationem: ne hac ratione, cum aliquo Lectoris faſtidio, narrationis curſus abrumperetur frequentiùs: viſum eſt ſuborientes quandoque dubitationes aſteriſco notatas in libri calcem reijcere, ibique enodare. Sic enim futurum exiſtimaui, vt neque cuiquam nauſea creetur, cùm ea poterit non attingere, quæ non arridebunt; & ijs pro captu noſtro faciamus ſatis, quibus animus eſt, obuijs quibuſque ſe expedire difficultatibus.

Ha-

Habes ergo, mi Lector, huius Hiſtoriæ fidem ſinceram, integramque; immo & ea, quibus nititur, fulcimenta. Habes & animi mei propoſitum. Deo bene fauente, vertant omnia in honorem, decuſque auguſtiſsimi EVCHARISTIAE Sacramenti.

Digitized by Google

ORIGO PRIMA FESTI CORPORIS CHRISTI EX VISO SANCTÆ VIRGINI IVLIANÆ DIVINITVS OBLATO.

CAPVT PRIMVM.

Naſcitur Iuliana, & quinquennis in cœnobium Cornelianum admittitur.

REtinna* viculus eſt agri Leo- 16.
dienſis, intra ſecundum ab *Patria.*
vrbe lapidem; humilis qui-
dem, & ipſo nomine vix no-
tus, ſed qui ſingulari benefi-
cio Numinis, Diœceſi Leodienſi, adeòque
Chriſtiano orbi vniuerſo, eximium pepe-
rit ſplendorem. Hìc ante annum à Chriſto
nato

Digitized by Google

Parentes: nato milleſimum centeſimum nonageſi-
17. mum, * par coniugum vixit egregium, non virtute minùs, quàm genere, ac fortunâ. viro Henrico nomen erat; femina Freſcendis dicta eſt. Sine liberis diu vixerunt, ita volente Deo; vt quæ naſceretur inde proles, cæli potiùs, quàm naturæ donum exiſtimaretur. Neque id videbantur ignorare pij coniuges: qui votis ardentiſsimis, cùm ſuis, tum corrogatis aliorum quorumdam, qui apud Superos gratiâ valere credebantur, à Deo prolem, ſi ita videretur, atque omnino conduceret, expoſcebant. Precibus ſubſidium aderat ſanctarum largitionum. Aequum enim eſſe rebantur, vt qui munificam in ſe Dei manum expeterent, nequaquam ab ijs dextram contraherent, quibus ſi quid indulgetur, indultum ſibi Chriſtus aſſeuerat. Et facto quidem comprobauit, ab hominibus munificentiâ ſe vinci nunquam: filiam enim dedit, quam Agnetem dixerunt. Neque hìc ſtetit cælitum beneficentia: ſed longiùs etiam, vberiorque fluxit. Non ita longo pòſt tem-

diu ſine liberis viuunt.

ſed à Deo multis expoſcunt.

18. pore, (annus vertebatur à Chriſto * centeſimus nonageſimus tertius ſupra milleſimum) naſcitur altera, de quâ nobis hìc eſt ſermo, Iuliana, veluti ſtella quæpiam lucidiſsima; cuius deinde ſplendore ſolaretur Deus, illuſtraretque Leodium, funeſto S. Alberti occaſu afflictum. Anno etenim ſu-

Naſcitur Iuliana,

ſub martyrium S. Alberti.

periore

periore S. Albertus Ducis Brabantiæ frater, Eccleſiæ Leodienſis Epiſcopus, clariſſimis eximiarum virtutum radijs meridiem ſplendidiſsimum promittebat; niſi ſacrilego impiorum auſu, * Sanctus Martyr occidiſſet. 19. ſi tamen is occidit, qui poſt nefarias Simoniacorum artes peſſumdatas, propugnatamque Eccleſiam, cælis additus *fulget in perpetuas æternitates*. Poſt natam Iulianam non diu parentes ſuperfuere. Quemadmodum enim vt naſceretur, ſuum potiùs munus eſſe Deus voluit, quàm naturæ: ita non domeſticâ parentum ſollicitudine, verùm ſacratiore Religioſi inſtituti decreuit excolere diſciplinâ. Eam ſiquidem iniecit mentem Iulianæ tutoribus, vt opportunè, ſanèque conſultum exiſtimarent, cùm virginibus ſibi creditis, tum Cornelianæ domus nuper conditæ egeſtati; ſi binæ ſorores totas ſe cum fortunis omnibus iſthìc æterno Numini conſecrarent. Re cum virginibus Cornelianis pertractatâ, & compoſitâ; factum eſt ita volente Deo, vt à primâ ætate puræ mentes, nullodum rerum terrenarum næuo conſperſæ, caſtiſsimis vnius Dei amoribus imbuendæ, in iſtiuſce familiæ diſciplinam admitterentur. Portò quòd iſtud aſceterium magnam in hac hiſtoriâ partem, decuſque ſibi vindicet; pretium operæ duxi, in vnum ea conijcere, quę ſequentibus facem aliquam præferant.

Mortuis parentibus,

Sanctimonialibus traditur inſtituenda,

in Cornelij monte.

CA-

CAPVT II.

Quando conditum; cuiuſve fuerit inſtituti Cœnobium Cornelianum.

Situs.

AD portam vrbis Tranſmoſanam, ſub arduo monte, quem Cornelij, vel cornorum dicunt; vernacula vox ad corna certè propendet; domus ampla non ita pridem in noſodochium, ſimul & cœnobium exſtructa erat. Eam incolebant quanquam habitatione ſeiuncti, ſani alij, alij morbidi, & leprâ infecti. integrorum porrò, item & ægrorum pars altera viri, feminæ altera: vt quadrifariam omnino domus tota diuideretur: hodieque conuentus quatuor nuncupant. Sed quæ fuerit ſtatim à domo conditâ viuendi ratio, quodve inſtitutum, ex hodierno vſu non facilè collegeris. Cùm tamen id è re noſtrâ futurum ſperem; diſertè teſtatum habe ex iſtius ætatis ſcriptore integerrimo Iacobo de Vitriaco hiſtoriæ Occid. c. 29. in hunc fermè modum.

Inhabitãtium varietas.

Viuendi ratio ſancta.

20\. *Sunt inſuper aliæ tam virorum, quàm mulierum ſeculo renuntiantium, & regulariter * in domibus leproſorum, & hoſpitalibus pauperum, viuentium abſque æſtimatione, & numero certo, in omnibus Occidentis regionibus congregationes, pauperibus & infirmis humiliter & deuotè miniſtrantes.*

21\. *Viuunt autem ſecundum * S. Auguſtini regulam, abſque proprio, & in communi,*

muni, ſub vnius Maioris obedientiâ; & habitu regulari ſuſcepto, perpetuam Domino promittunt continentiam. Seorſum autem viri, & ſeorſum feminæ, cum omni reuerentiâ & caſtitate dormiunt, & manducant. Horas autem Canonicas, quantùm hoſpitalitatis ſtudium, & pauperum Chriſti miniſterium permittunt, diebus & noctibus audire non omittunt. In domibus autem, in quibus maior eſt conuentus, & numeroſior Fratrum, & Sororum congregatio, frequenter in capitulo ad corrigendas delinquentium negligentias, vel pro alijs neceſſarijs, & honeſtis cauſis congregantur. Lectiones autem Diuinarum Scripturarum plerùmque, dum reficiuntur corpora, ſibi faciunt recitari. In refectorio, & alijs certis locis, & horis conſtitutis, ſilentium obſeruantes. Homines autem infirmos, vel hoſpites ſanos, quos in domibus ſuis ſuſcipiunt, ſeparatos à mulieribus mãducare faciunt, & dormire. Capellani autem eorum cum omni humilitate, & deuotione, pauperibus, & infirmis, in ſpiritualibus miniſtrantes, verbo Diuinæ Prædicationis indoctos inſtruunt, puſillanimes & debiles conſolantur, & ad patientiam, & gratiarum actionem exhortantur.. Diuinum officium, vt omnes infirmi audire in ſuis lectis valeant, in capellâ communi, diebus & noctibus aßiduè celebrant. Confeßiones autem, & extremas Vnctiones, & alia Sacramenta diligenter, & ſollicitè ſubminiſtrant infirmis, & mortuis debitam exhibent ſepulturam. His multa ſubiungit

Vitria-

Vitriacus, quæ ad iſtius inſtituti commendationem faciant. Iuxta quam viuẽdi normam, condita primùm fuerunt Occidente toto noſocomia quàm plurima, quæ ſtatim nomini Chriſtiano ſplendorem admirandũm compararunt. Sed, vt ferunt res humanę, cùm breui defluxiſſet iſte Euãgelicę, & ſinceræ Caritatis honor: in eiuſmodi tamen miſerandâ Religionis clade, firmior quibuſdam ſtetit animus, quàm vt curuarent genua ante Baal, ſuarumque cupiditatum idola. *Pariſiis enim*, (vt perſequitur idem Scriptor,) *& Nouiomi in Franciâ, Pruu-*
22. *ni in Campaniâ, Tornaci in Flandriâ*, * *Leodij in Lotharingiâ*, *Bruxellis in Brabantiâ*, *ſunt hoſpitalia pietatis, domus honeſtatis, officina ſanctitatis, conuentus decoris, & religionis, refugia pauperum, aſylum miſerorum, conſolationes lugentium, refectio eſurientium, ſuauitas & mitigatio infirmorum.* Hactenus nobile encomium autoris grauiſsimi; quod vtinam
23. *Cœnobij cõditores.* hiſce temporibus conueniat! Porrò * Cornelianæ Domus Leodij conditores primi feruntur Senatus vniuerſus, Populuſq; Leodienſis. quo nomine, rerum ſummam hodieque Conſulibus, veluti patronis adſcribunt: ſed omnibus populi Collegijs ius nouos alumnos morientibus ſubſtituendi in familiæ illius quartam partem, ſiue conuentum vnum tribuunt; ſimulque poteſtatem deligendi magiſtratum annuum, *Com-*

miſſarios

miſſarios vocant aut Magiſtros, qui in rectam domus adminiſtrationem incumbant. Verùm quia ſacris hæc admodum implexa ſunt, nec facilè dirimuntur; frequenter vſu venit, vt ſacrorum iuriſdictionem violari queratur Epiſcopus, reclamet, adeoque obſiſtat: obſiſtant & inde Conſules, populuſque, ſibi ſuum adimi ius non paſſuri. Ita iam inde à primis initijs, ad noſtram ætatem, vtrimq; tanquam de iure violato contenditur. Litem ſub iudice relinquimus. Illa dumtaxat nobis indicaſſe ſatis eſt, quæ ad aliquam eorum, quæ dicenda erunt, lucem facere exiſtimauimus.

CAPVT III.

Dimittitur in villam, & Sapientia virginis diſciplinâ excolitur; egregiumq; dat indolis ſpecimen.

NOndum anni, vireſque patiebantur, vt teneræ ſorores (vix quintum ætatis annum Iuliana ſuperabat) arduis Religioſæ vitæ laboribus exercerentur. Pueritiam enim iiſdem cum mediâ, firmâque ætate oneribus ſubijcere, obruère eſt, non excolere. Ab arbuſto tenero præter viriditatem nihil exſpectes. ſi pomum dat vnum, alterumve; fulciendum eſt, ne diffringatur: erit, cùm rami robuſtiores nullo admini- *Ob teneram ætatem ſeponitur Iuliana.*

culo fructus vberes producant. Non multò aliter, ſi virtutem agnoſcit, & amat ætas prima, multum eſt id. ſi quem dat fructum, ſuſtentanda eſt, ne pondere virtutis opprimatur: corroborata deinde, fructus dabit optatos. Statuit igitur quæ familiæ Cornelianæ præerat, cum Agnete Iulianam aliarum cœtu remouere in proximam, & ex aduerſo villam; quam Virginum vna inhabitabat Sapientia, nomine ſuo non indigna: vt quæ res Diuinas, Religioſamque in primis aſceticam calleret; pueritiæ verò inſtituendæ peritiſsima haberetur. Sororem vtramque ad ſe receptam Sapientia, caritate primùm inſigni fouere cœpit, & matris affectionem præferre: vt filiarum mentem vbi viciſsim induiſſent illæ, animis paratioribus inſtitutionem omnem admitterent. Et planum id erat in illâ flexili ætate, indoleq; profectò ingenuâ. Prima litterarum, item & religionis in ſuperos elementa tradebat. cæli delitias, ærumnas inferorum, rei etiam minimæ, quæ ab honeſto nonnihil recedere videretur, fugam præcipitem animis imprimebat. Deducebat in ædem ſacram quotidie, quandoque in cœnobium: iſthìc ſodalium oſtentabat exempla: quàm ſtrenuè dato ſigno mox ad cœleſtium rerum meditationem conuolarent: quâ corporis compoſitione, ardore mentis, & conſtantiâ cum Deo ſermocinarētur: ad labores

Sapientiæ virgini commendatur:

cuius diſciplinâ mirum in modum proficit.

Digitized by Google

res euocatæ, quâ cupiditate viliſsima quæ-que amplecterentur, quâ miſeratione infir-miores onere ſubleuarent, quâ animi exul-tatione ad noſocomium, velut ipſi Chriſto miniſtraturæ properarent : quibus animis iuſſa Superiorum exciperēt; ſi quid fortaſ-ſis erraſſent, quàm acriter in ſeſe vendica-rent ipſæ, vel impoſitam pœnam, æquo & lubenti animo ſuſtinerent. Domum reuer-ſis identidem eadem in memoriam reuoca-bat. ſimilia probabat factitata quondam ab ijs, qui modò bene actorum præmijs inter cælites fruuntur; ſed ex eâ potiſsimùm æ-tate, in quâ ſoror vtraque verſabatur. In-terdum etiam prima quædam veluti futuræ militiæ rudimenta à tyrunculis repetebat. Altè in animum demittebant, pro ætate, quæ accipiebant ſorores præcepta. Agne-tem ipſam hiſce feliciter informatam, exi-miâ ſanctitate, & innocentiâ vitam egiſſe ferunt. plura non reperio: neque ſi ſint, immorari propoſitum eſt. Vnica tenet Iu-liana; quam Deus præ ſorore, iam tum ſe-legiſſe videbatur; & per parua ad illuſtrem magnitudinem deducere. Primùm igitur litteris magnâ facilitate inſtructa eſt Iu-liana; & vt felicis erat memoriæ, conſcri-ptos à Dauide pſalmos breui didicit, te-nuitque vniuerſos: ſi quod dictum, factum-ve frugem aliquam promitteret; menti fir-miter inhærebat; & vbi ſe dabat occaſio,

gnauiter imitabatur. Mirabantur qui in primâ ætate, ætatis iſtius nihil deprehendebant. Non placebant ludi, non oris garrulitas, non concurſatio, leuioraque alia pueritiæ propria. Modeſtam in primis, grauemque corporis totius compoſitionem præferebat: breui ſermone, ſi cuius eſſet vſus, delectabatur; amabat ſolitudinem; ipſam ſe denique, ætatemque ſuperabat. Accidit inter hæc, vt lepidum, & ſanè non vanum animi ſui præberet experimentum. S. Nicolaum fortè legerat, vel audierat toto vitę decurſu, in ſingulas hebdomadas ſecundò ſibi ieiunium indixiſſe; idque iam ab infantiâ ita vſurpaſſe, vt nutricis vbera ſtatis diebus non admitteret. Velut ægrè ferret Iuliana in infantiâ ſe ſuperatam, à pueritiâ ſtatuit inchoandum; verùm ex aliquo forſan, vt fit, puellari pudore, clàm, & ſilentio propoſuit peragendum. Dies fortè aderat, quo ieiunium ex Ordinis ſui legibus obſeruandum erat Virginibus Cornelianis: viſum eſt Iulianæ peropportunum, ſuum adiungere. Sed patuere quamprimùm aperti, & ſine fuco ſinceræ virginis doli. & Sapientia, non aliter atque ſi grauiter peccatum eſſet, iram vultu ſimulans: Hoc ergo fructu, Iuliana, nihil niſi de maiorum voluntate faciendum eſſe, tam frequenter audiſti? Sic prolocuta, ingenuo ſuffuſam pudore, trepidantemque ad primam corripientis

Temperantiæ ſpecimen.

ripientis vocem, vtrâq; ſublatam manu, foras effert; mediâq; in niue, hiems erat, collocat; & addit: Quæ tibi tantùm ſumis, vt de meâ præceptione nihil ſis ſollicita, & fraudibus etiam circumuenire pares; condignâ pœnâ peccatum elue. Hic Iuliana eâ ætate, quæ caſtigationis impatientiſsima, clamore, lacrymiſque, animi ſui ſcintillas prodit; ipſa nihil reclamare, nihil contrà niti. ſed ex irato, vt credebat, magiſtræ ſuę vultu ſe peccaſſe colligit; magnum animo dolorem concipere tentat, impoſitam pœnam ipſa à ſe exigit, perſtat in niue eodem firma gradu, vultuque, qui facti pœnitentiã ſatis prôderet, quemve notauerát in Virginibus domeſticis, cùm vel imperatis, vel ſuſceptis vltro pœnis expiantur. Ex ædibus ipſis inſigni alumnæ ſuæ ſpectaculo Sapientia fruebatur. ſed non minùs iucundâ cataſtrophe concludendum rata, exit mox ad Iulianam; &: Ad templum, inquit, adi ſine morâ, ſacerdotique erratum confeſſa, pœnitentiæ Sacramento expiare. Surgit ilico rea, eôdem ſemper vultu, animoque; & dictis paret. Virginis innocentiam admiratus Sacerdos: Domum, inquit, abi; & tentatum præter magiſtrę voluntatem ieiunium, ouo ſumpto expiabis. Redit ad magiſtram Iuliana, & eodem mentis candore, quó cetera, poſtremum hoc impleuit.

item & pœnitentia

CAPVT IV.

Sacrorum librorum lectione, atque in primis S. Bernardi proficit multùm.

24. QVod vnicum ætas ferre videbatur, * litteras diſcebat Iuliana ſiue Latinas, ſiue Gallicas; magnum ad omnes deinde virtutes cumulandas, & Sanctorum librorum lectione fouendas ſubſidium. Illis vbi, quod ſatis eſſet, inſtructa fuit; ſi quandoque tempus ferebat, velut apicula quædam ſtudioſiſsima, per Sanctorum floſculos, & rectè facta volitabat, ſelectumque pro ſuâ conditione mel ſuauiſsimum, in memoriæ, ceu aluearis cuiuſpiam cellulas recondebat, in imitationem deinde promptura, cùm res tuliſſet. Sed viribus in dies firmior, eſcam animæ firmiorem conquirebat. Quæ enim conſcripta circumferuntur, & legimus Sanctorum geſta, rudiorem ferè dumtaxat virtutem adumbrare cenſebat; quãdoquidem nihil aliud ſcribere habeant hiſtorici ſacri, quàm quæ vel oculis notauerint ipſi, vel auribus acceperint ab alijs notata. At verò cùm maximo ſemper ſtudio cauerint ſanctiſsimi quique homines, ſua præclarè facta mortalium oculis proponere; immo tenebris, quàm potuerũt altiſsimis, occuluerint; quàm multa neceſſe eſt

Sãctorum hiſtorijs capitur:

eſt hominum oculos fugiſſe? Animus porrò, qui factis non minùs vitam, quàm corporibus impertit, Dei vnius oculis patet. Eius igitur paruas quaſdam, & ſubobſcuras tantùm ſcintillas perſpicimus, adeòq; poſſumus conſcribere. Quòd ſi illi ipſi, qui ſancto Diuini amoris igne ſenſerunt medullas ſuas depaſci, ardorem illum ſcribere inſtituiſſent; multo certiùs, quo fomite Numinis amor excutiatur, quâ promptiſsimè materiâ ſuccendatur, quibus Dei flatibus excitetur; cognituros nos fuiſſe nemo dubitabit. Verùm enimuero cùm hinc modeſtiæ Chriſtianæ legibus id vetari videatur, illinc in ceteros homines germana caritas iubeat in vulgus ſpargi, quæ plurimis ſalutaria videantur futura; prudentiſsimè ſanctiſsimi maiores noſtri, & verè Patres, non quaſi facta ſua, ſed velut Chriſtiani homi- *ſed plus*
nis officia nobis ſcripta reliquere, quæcum- *vtilitatis*
que ad omnem virtutem conſequendam, *haurit ex*
ipſoq; Deo fruendum, facere vſu ipſo com- *SS. Patrũ*
periſſent. *ſcriptis,* Monumenta ergo Sanctorum Patrum, non ſecus ac quaſdam eorum imagines ad viuum expreſſas accuratiſsimè, ſummo deſiderio in manus ſumebat Iuliana, mentis oculis obijciebat, ſeſeque ad ea, veluti prototypa, ardentiſsimo ſtudio conformabat. Capiebatur admodum ſcriptis *atque in*
B. Auguſtini. atque vti amore Diuino ſan- *primis*
ctus ille magiſter arſit; eiuſdem flammis *Auguſti-*
ni:
 animum

animum ipſa ſuccendere nitebatur. In animum tamen magis influebat, potioreſque ſibi vendicabat partes Bernardus: melleaq; eius dulcedo id euicerat, vt dextrâ nihil tereretur frequentiùs, ore nihil dulcius volueretur, nihil in animum demitteretur altiùs, quàm quæ ſcripſiſſet Bernardus: ſed tum maximè, cùm *Canticum canticorum* explanaret. Quæ profectò quàm ardenter arripiebat, tam retinebat cóſtanter; & amantiſsimè fruebatur. Ita demum frequenti lectione factum eſt, vt eâdem de re commentarij, quos Sermones vocant, vicenis plures memoriæ firmiter inhærerent. Nimirum ſanctiſsimã Virginem iam tum adamatam ſuis delitijs illiciebat Sponſus cæleſtis, Paranympho Bernardo: eodemque velut interprete, Diuinis amoribus caſtiſſima ſe ſponſa deuouebat.

& Bernardi.

CAPVT V.

Inſigni ſui victoriâ boum curam ſibi depoſcit, & exequitur.

AEtate ſenſim, & corporis viribus adoleſcebat Iuliana; ſed robore animi multo firmior, terrena iam omnia deſpiciens, cælum vnum ſuſpirabat. Quò vt pertingatur, cùm iam intelligere cœpiſſet, nil potiùs

potius eſſe, quàm altiſsima modeſtiæ demittere fundamenta, ſibique ipſi vileſcere; apud ſe ipſa ſtatuit, viliſsimo quopiam fungi miniſterio, quod & nullam gloriæ apud homines conſequendæ ferret occaſionem, & ſimul veluti famulam ceteris omnibus ſubijceret. Cùm in villâ habitaret, vt ſuprà demonſtrauimus; ante oculos erat quotidie vilis ancilla, quæ boues à paſcuis lacte diſtentas mulgeret. opus non parum moleſtum, locus ſordibus, & fœtore grauis, officium erat abiectiſsimum: quæ omnia teneras, honeſtoque loco natas virgines facilè deterruiſſent; ſed arriſere Iulianæ. cupiebat ancillari. Laborem, ſordes, odoremque grauem, in delitijs Chriſti causâ reponebat: ſui laboris fructum, ſi quis eſſet, in domeſticos vniuerſos rediturum videbat. Nutricem conuenit Sapientiam, animi deſiderium aperit, rogat, vt ſibi liceat ex eius voluntate id muneris vſurpare. Obſtupuit Sapientia poſtulatis: & cùm eam alumnæ mentem nouiſſet, quæ leuitate quâpiam non facilè duceretur; de incenſo primùm modeſtiæ ſtudio gratulata eſt: deinde tenerioris ætatis gratiâ, ſpem omnem eiuſce muneris conſequendi deponat, hortatur. At cùm illa animum potiùs, quàm ætatem, cenſeret eſſe metiendum: Immo virium, inquit Sapientia, potior eſt habenda ratio; quæ frequenter animum nimis alta cogi-

Humilem boum curam deſiderat:

petit:

tantem, inuitum licet, deſtituunt. Reſpondet Iuliana, quod incertum erat, experimento poſſe firmari; ſperare ſe, opem è cælo affuturam. Ad hæc Sapientia: Quid verò cùm ab agnatis, & ęqualibus in opere ſeruili, & iſtis ſordibus deprehenderis? eorum conſpectum, & irriſiones quo animo feres? Illa: Quo ipſos labores depoſco: hilari, Chriſti causâ. Hoc demum Chriſtianum eſt, ait Sapientia, aſceticâque religiosâ dignißimum. ſed longè nihilominus diuerſam à tuâ, meam totiuſque cœnobij cauſam arbitror: tu ſanctè, fortiterque paruiſſe: nos imperiosè nimis, heriliterque regere dicemur, quæ laboribus adoleſcentulam opprimimus, abijcimus ingenuam ad ſeruilia. Erubuit Iuliana cùm ſuam cauſam toti communem fieri cœnobio audijt. Verùm tamen, inquit, quando igitur vobis imperare, mihi licebit obtemperare, ſi hominum ſententiam exquirimus? Immo audiant, intelligantque, vbi cæli cauſa agitur, nihil abiectum; adeoque Numini ſeruire, regium eſſe. Bono animo iubet alumnã eſſe Sapientia: ex aliorum mente, quod optimum videbitur, ſtatuere ſe velle reſpondet. quidquid eueniat, non defuturam pio ardori à ſuperis mercedem. Non ſtudioſiùs magiſtratum candidatus aliquis ambiret, quàm ancillare munus Iuliana. Vt audijt exquirendum ab alijs conſilium; ſingulas occu-

ambit:

paro

pare ſtatuit. ſingulas adit, aperit deſiderium, ardentiſsimis precibus in ſuas partes trahit. vt tot ſollicitationibus fatigatæ, non annuere non potuerint. Cùm tandem euiciſſet, non ſecus atque ingenti aucta dignitate, ſecum ipſa triumphare ſibi viſa eſt. Summâ animi exultatione ad opus accingebatur. ſi quid arduum, graue, ſordidum, ac fœtidum occurrebat; id verò Dei nomine delitioſum arbitrabatur. Si boum à paſcuis luxuriantium ſterneretur pedibus, ac protereretur; in lucro ponebat: niſi doleret velut ignauiâ ſuâ factum, vt effuſi lactis quantulamcumq; iacturam feciſſet familia. quod vbi euenerat, non impunitum patiebatur; ſed quaſi vindicatura, palam erratum fatebatur, ſibiq; condonari ſupplex rogabat. Nihil enim tegi ſuſtineret, quod præferret aliquam erroris ſpeciem: erubeſcebat autem retegi, ſi rectè quid feciſſet; aut grauius aliquid ab officio pati deprehenderetur. Quo, fiebat vt boum pedibus quandoque conculcata, omnem oculis lacrymam, vocem ore, pectore gemitũ comprimeret: verita ne præter vnum Deum, cui ſoli totam ſe dicabat, teſtem alium quempiam, & fortaſsis vnà mercedem haberet. ſimul ne cariſsimum hoc humilitatis pignus, quod amabat ardentiſsimè, abſtraheretur. Quamobrem cùm aliquando ſoror eius Agnes inter boum pedes pro-

impetrat:

magnâ ſui victoriâ exequitur.

ſtratam

ſtratam, totamque lacte perfuſam deprehendiſſet, & increpuiſſet fortaſsis acriùs: non aliter ipſa, quàm virgineo ſe rubore purgauit; eo ſatis teſtata, ſibi grauiùs accidiſſe, vel à germanâ ſorore deprehendi, quàm proſterni pedibus animalium. At ipſa ſecum in ſponſi Chriſti oculis, ſuiipſius abiectione geſtiebat: ſibi gratulabatur ipſa de eo munere, quo non aliquid dumtaxat officij Chriſtiani ſuis manibus in noſodochium ægrotis deferri videbat; verùm etiã in cœnobij totius vſum parabatur. Atque ita ſi Deo, quemadmodum ipſa ſentiebat, maius aliud præſtare non poſſet, ægrotis ſaltem, & hoſpitibus, quos membra ſua Chriſtus appellauit, immo ſanctis ſeruiret virginibus eidem Chriſto deſponſis, & eſcam pararet: eâque causâ toto animo exultabat. Tanti eſt apud animum quemcumque, iuſtum Chriſtianarum rerum æſtimatorem, alijs ſubijci, adeòque ſeruire.

Caritas in pauperes, & ſodales.

CAPVT VI.

Magno fructu Martham Maria ſociat.

NOn vnius diei, non vnius ſtabuli terminis generoſæ mentis impetũ coërceri adoleſcens ſancta patiebatur. At quoties cœnobij res familiaris, aut in ægrotos humanitas, caritaſve in ſodales eius operam

Magnâ alacritate Deo laborat:

ram poſtulare videbatur, nihil arduum, nihil moleſtum, aut graue accidebat. præcipientis voce nihil erat opus; vltro volabat, & operi ſubijciebat humeros. Si quid in opere faciendo fortaſsis alicuius incogitantiâ, vel ignauiâ neglectum erat; diſsimulanter ipſa, & velut aliud agens, ſtrenuè tamen perficiebat. ſi ſub onere ſatiſcerent ſodales, ſubibat ipſa. Si fatigari aduerteret, parte laboris ſubleuabat. & nō aliter, quàm ſi omnia potuiſſet vna, ceteræ verò laboribus ſuſceptis impares ſe expedire non poſſent; omnibus aderat, vbique ſubſidij partem impendebat: ſed hac induſtriâ, vt in laboris partem aduocata potiùs, quàm ſe intruſiſſe videretur. atque ita ſine vllius offenſione, omnibus operam ſuam impertiebatur. Laborem non corporis, ſed animi metiebatur viribus: qui cùm ſupra virginis ætatem, & ſexum ingens eſſet, infractuſque; nihil non leue ducebat, aut à ſe non perficiendum ſibi perſuadebat. Et profectò rem ſemel tētatam, non priùs deponebat, quàm fortiter peregiſſet. Verùm grauior corporis ſarcina, quandoquidem mentis alacritatem conſequi non valeret, reſiſtebat interdum, & apud ſe deorſum retinere voluiſſet; niſi fortior animi vis rapuiſſet ad altiora. Quod cùm repugnante fieret naturâ, atterebantur ſenſim vires, & conſumebantur: vt reliquâ deinde vitâ admodum imminutæ,

ſubleuat ſodales:

ſenſim frangitur corpus:

Digitized by Google

deret. Deum omnia ſonabant: ad Deum omnia referebantur: Dei nomine, quidquid fieret, factum volebat. adeò etiam, vt ſi quod ſibi mandatum inaudiret iniungendum, nunquam gratius accidere poſſe affirmaret, quàm ſi Dei causâ, atque etiam autoritate ferretur.

Aduerte. Aberramus nimirum totâ viâ cæci mortales; aberramus: qui, ſi quæ Marthæ munia quandoque ſuſceperimus, totos ijs nos ita damus, vt animis Maria videatur exulare, & nihil à profano diſsideamus. graueque poſtea fiat interdum ſepoſitis turbis animum colligere, Mariæque reddere. Aberramus item, quando ſi fortè guttulam ſui fauoris Diuina pietas inſperſerit, velut ad tertium iam abrepti cælum, cetera omnia vel adſpectu dedignamur, & ad mutuæ caritatis officia hominibus præſtanda, quanquam aliquod fortaſſe præceptum impellat, animum demittere, operæ pretium eſſe nō putamus. Maria magna eſt; magna eſt & Martha. verùm ſorores geminæ arctiſsimo connexæ vinculo, importunè noſtrâ imprudentiâ ſeparantur.

C A-

Digitized by Google

CAPVT VII.

Donatur diuinitùs incenſo amore in VENERABILE SACRAMENTVM; *&* *viſo quodam turbatur.*

IAm tum ab adoleſcentiâ, ipsâque adeò pueritiâ, ſibi ſanctiſsimam virginem in ſponſam Diuinum Numen adornabat, & infundebat in eius animam ſe totum liberaliſsimè; vt facilè conſtaret, non ad vulgarem ſanctimoniam deſtinari. Sed tum maximè cæleſtibus fruebatur fauoribus, & animæ rorem miræ ſuauitatis infundi ſentiebat, vbi auguſtiſsimo Miſſæ ſacrificio præſens intererat. Nam cùm aliquando eâ ætate, quæ infantiæ tenebris depulſis, primam rationis lucem admittit, à nutrice ſuâ Sapientiâ, pro conſuetudine, inſtitutoque vitæ cœnobiticæ duceretur ad ædem ſacram, vt aſſueſceret portare iugum Domini ab adoleſcentiâ ſuâ: eam Numinis vocantis vim experta eſt, quæ Deo mentem eius omnino deuinxit. Fortè dum Miſſa peragеretur, pro ætatulæ ſuæ captu, ſenſus pietatis, & religionis tanto ſacrificio dignos, in ſeſe nitebatur excitare; cùm delectatus pio conatu Deus, eam veluti poſsidere cœpit; quam nimirum in ſponſam ſecernere, & ad inſtar ſplendidiſsimæ lucis

Primâ ætate,

incipit affici in V. Sacramentum.

animum ipſa ſuccendere nitebatur. In animum tamen magis influebat, potioreſque ſibi vendicabat partes Bernardus: melleaq; eius dulcedo id euicerat, vt dextrâ nihil *& Bernardi.* tereretur frequentiùs, ore nihil dulcius volueretur, nihil in animum demitteretur altiùs, quàm quæ ſcripſiſſet Bernardus: ſed tum maximè, cùm *Canticum canticorum* explanaret. Quæ profectò quàm ardenter arripiebat, tam retinebat cõſtanter; & amantiſsimè fruebatur. Ita demum frequenti lectione factum eſt, vt eâdem de re commentarij, quos Sermones vocant, vicenis plures memoriæ firmiter inhærerent. Nimirum ſanctiſsimā Virginem iam tum adamatam ſuis delitijs illiciebat Sponſus cæleſtis, Paranympho Bernardo: eodemque velut interprete, Diuinis amoribus caſtiſſima ſe ſponſa deuouebat.

CAPVT V.

Inſigni ſui victoriâ boum curam ſibi depoſcit, & exequitur.

AEtate ſenſim, & corporis viribus adoleſcebat Iuliana; ſed robore animi multo firmior, terrena iam omnia deſpiciens, cælum vnum ſuſpirabat. Quò vt pertingatur, cùm iam intelligere cœpiſſet, nil potiùs

Digitized by Google

potius eſſe, quàm altiſsima modeſtiæ demittere fundamenta, ſibique ipſi vileſcere; apud ſe ipſa ſtatuit, viliſsimo quopiam fungi miniſterio, quod & nullam gloriæ apud homines conſequendæ ferret occaſionem, & ſimul veluti famulam ceteris omnibus ſubijceret. Cùm in villâ habitaret, vt ſuprà demonſtrauimus; ante oculos erat quotidie vilis ancilla, quæ boues à paſcuis lacte diſtentas mulgeret. opus non parum moleſtum, locus ſordibus, & fœtore grauis, officium erat abiectiſsimum: quæ omnia teneras, honeſtoque loco natas virgines facilè deterruiſſent; ſed arriſere Iulianæ. cupiebat ancillari. Laborem, ſordes, odoremque grauem, in delitijs Chriſti causâ reponebat: ſui laboris fructum, ſi quis eſſet, in domeſticos vniuerſos rediturum videbat. Nutricem conuenit Sapientiam, animi deſiderium aperit, rogat, vt ſibi liceat ex eius voluntate id muneris vſurpare. Obſtupuit Sapientia poſtulatis: & cùm eam alumnæ mentem nouiſſet, quæ leuitate quâpiam non facilè duceretur; de incenſo primùm modeſtiæ ſtudio gratulata eſt: deinde tenerioris ætatis gratiâ, ſpem omnem eiuſce muneris conſequendi deponat, hortatur. At cùm illa animum potiùs, quàm ætatem, cenſeret eſſe metiendum: Immo virium, inquit Sapientia, potior eſt habenda ratio; quæ frequenter animum nimis alta cogi-

Humilem boum curam deſiderat:

petit:

 tantem,

Digitized by Google

tantem, inuitum licet, deſtituunt. Reſpondet Iuliana, quod incertum erat, experimento poſſe firmari; ſperare ſe, opem è cælo affuturam. Ad hæc Sapientia: Quid verò cùm ab agnatis, & ęqualibus in opere ſeruili, & iſtis ſordibus deprehenderis? eorum conſpectum, & irriſiones quo animo feres? Illa: Quo ipſos labores depoſco: hilari, Chriſti causâ. Hoc demum Chriſtianum eſt, ait Sapientia, aſceticâque religiosâ digniſsimum. ſed longè nihilominus diuerſam à tuâ, meam totiuſque cœnobij cauſam arbitror: tu ſanctè, fortiterque paruiſſe: nos imperiosè nimis, heriliterque regere dicemur, quæ laboribus adoleſcentulam opprimimus, abijcimus ingenuam ad ſeruilia. Erubuit Iuliana cùm ſuam cauſam toti communem fieri cœnobio audijt. Verùm tamen, inquit, quando igitur vobis imperare, mihi licebit obtemperare, ſi hominum ſententiam exquirimus? Immo audiant, intelligantque, vbi cæli cauſa agitur, nihil abiectum; adeoque Numini ſeruire, regium eſſe. Bono animo iubet alumnā eſſe Sapientia: ex aliorum mente, quod optimum videbitur, ſtatuere ſe velle reſpondet. quidquid eueniat, non defuturam pio ardori à ſuperis mercedem. Non ſtudioſiùs magiſtratum candidatus aliquis ambiret, quàm ancillare munus Iuliana. Vt audijt exquirendum ab alijs conſilium; ſingulas occu-

ambit:

paro

Digitized by Google

pare ſtatuit. ſingulas adit, aperit deſiderium, ardentiſsimis precibus in ſuas partes trahit. vt tot ſollicitationibus fatigatæ, non annuere non potuerint. Cùm tandem euiciſſet, non ſecus atque ingenti aucta dignitate, ſecum ipſa triumphare ſibi viſa eſt. Summâ animi exultatione ad opus accingebatur. ſi quid arduum, graue, ſordidum, ac fœtidum occurrebat; id verò Dei nomine delitioſum arbitrabatur. Si boum à paſcuis luxuriantium ſterneretur pedibus, ac protereretur; in lucro ponebat: niſi doleret velut ignauiâ ſuâ factum, vt effuſi lactis quantulamcumq; iacturam feciſſet familia. quod vbi euenerat, non impunitum patiebatur; ſed quaſi vindicatura, palam erratum fatebatur, ſibiq; condonari ſupplex rogabat. Nihil enim tegi ſuſtineret, quod præferret aliquam erroris ſpeciem: erubeſcebat autem retegi, ſi rectè quid feciſſet; aut grauius aliquid ab officio pati deprehenderetur. Quo, fiebat vt boum pedibus quandoque conculcata, omnem oculis lacrymam, vocem ore, pectore gemitũ comprimeret: verita ne præter vnum Deum, cui ſoli totam ſe dicabat, teſtem alium quempiam, & fortaſsis vnà mercedem haberet. ſimul ne cariſsimum hoc humilitatis pignus, quod amabat ardentiſsimè, abſtraheretur. Quamobrem cùm aliquando ſoror eius Agnes inter boum pedes proſtratam

impetrat:

magnâ ſui victoriâ exequitur.

Digitized by Google

ſtratam, totamque lacte perfuſam deprehendiſſet, & increpuiſſet fortaſsis acriùs: non aliter ipſa, quàm virgineo ſe rubore purgauit; eo ſatis teſtata, ſibi grauiùs accidiſſe, vel à germanâ ſorore deprehendi, quàm proſterni pedibus animalium. At ipſa ſecum in ſponſi Chriſti oculis, ſuiipſius abiectione geſtiebat: ſibi gratulabatur ipſa de eo munere, quo non aliquid dumtaxat officij Chriſtiani ſuis manibus in noſodochium ægrotis deferri videbat; verùm etiã in cœnobij totius vſum parabatur. Atque ita ſi Deo, quemadmodum ipſa ſentiebat, maius aliud præſtare non poſſet, ægrotis ſaltem, & hoſpitibus, quos membra ſua Chriſtus appellauit, immo ſanctis ſeruiret virginibus eidem Chriſto deſponſis, & eſcam pararet: eâque causâ toto animo exultabat. Tanti eſt apud animum quemcumque, iuſtum Chriſtianarum rerum æſtimatorem, alijs ſubijci, adeòque ſeruire.

Caritas in pauperes, & ſodales.

CAPVT VI.

Magno fructu Martham Maria ſociat.

NOn vnius diei, non vnius ſtabuli terminis generoſæ mentis impetũ coërceri adoleſcens ſancta patiebatur. At quoties cœnobij res familiaris, aut in ægrotos humanitas, caritaſve in ſodales eius operam

Magnâ alacritate Deo laborat:

ram poſtulare videbatur, nihil arduum, nihil moleſtum, aut graue accidebat. præcipientis voce nihil erat opus; vltro volabat, & operi ſubijciebat humeros. Si quid in opere faciendo fortaſsis alicuius incogitantiâ, vel ignauiâ neglectum erat; diſsimulanter ipſa, & velut aliud agens, ſtrenuè tamen perficiebat. ſi ſub onere ſatiſcerent ſodales, ſubîbat ipſa. Si fatigari aduerteret, parte laboris ſubleuabat. & nõ aliter, quàm ſi ómnia potuiſſet vna, ceteræ verò laboribus ſuſceptis impares ſe expedire non poſſent; omnibus aderat, vbique ſubſidij partem impendebat: ſed hac induſtriâ, vt in laboris partem aduocata potiùs, quàm ſe intruſiſſe videretur. atque ita ſine vllius offenſione, omnibus operam ſuam impertiebatur. Laborem non corporis, ſed animi metiebatur viribus: qui cùm ſupra virginis ætatem, & ſexum ingens eſſet, infractuſque; nihil non leue ducebat, aut à ſe non perficiendum ſibi perſuadebat. Et profectò rem ſemel tẽtatam, non priùs deponebat, quàm fortiter peregiſſet. Verùm grauior corporis ſarcina, quandoquidem mentis alacritatem conſequi non valeret, reſiſtebat interdum, & apud ſe deorſum retinere voluiſſet; niſi fortior animi vis rapuiſſet ad altiora. Quod cùm repugnante fieret naturâ, atterebantur ſenſim vires, & conſumebantur: vt reliquâ deinde vitâ admodum imminutæ,

ſubleuat ſodales:

ſenſim frangitur corpus:

Digitized by Google

ſed animus fortior aſſurgit.

tæ, tenerum,& debilitatum corpus afflixerint. Aſſurgebat tamen in dies animus viuidior;& veluti fracto hoſte victor, ceu onere poſito, ad cæleſtia ſe liberiùs efferebat. Non enim ea fuit Iulianæ mens, vt quanquam huiuſcemodi corporis fatigationibus, ſinceræque caritatis officijs tribueret plurimùm: partes ſe tamen ſuas cenſeret expleuiſſe, ſi exteriora dumtaxat illa ritè procuraſſet. At verò quemadmodum hominis in hac vitâ conſtituti otioſus ille in Deum amor videretur, qui à terrâ cæleſtiũ rerum meditatione ſemper abreptus, nihil vnquam operis in lucem daret: ita virtus quædam vmbratilis erit, aut imaginaria, quæ vnius corporis fatigationi inſiſtẽs, & afflictationi, ad cæleſtia, Deumque ipſum mentem nunquam eriget, & cetera eò non putabit eſſe referenda. Iuliana igitur rerum Diuinarum contemplationi, rectè facta, Chriſtianique hominis officia, vel, vt hac in re loquimur, *Mariæ Martham*, aut practicam theoricæ ſic adiungebat; vt à Mariâ pretium ſuum, excellentiamque acciperet Martha; & amorem Mariæ ſincerum, fortemq; teſtaretur Martha, & quandoque ſuſcitaret. Eum enim, cùm labore corpus exerceret, ſibi finem ſtatuebat; vt primùm corpus Deo retineret, rationique ſubiectum, deinde Euangelicæ caritatis legibus pareret, ac demum Chriſti nomine

vires addit Theoria opportunè Practica adiuncta

tam

Digitized by Google

tam atrocia pro nobis paſsi, ſaltem aliquid in ſe ſuſtineret. Si defectis ſubinde viribus opus interiungeret, in Marthæ ſubſidium ita opportunè Mariam aduocabat, ſubitoq; Diuinorũ meditatione reficiebat animum, vt morâ breuiſsimâ vires in integrum reſtitueret; certiſsimoque comprobaret indicio, non corporis, ſed animi, adeòque cęleſtibus ſtare ſe viribus, & perficere, quidquid aggrederetur. At vbi demum receptui ſignum daretur; nulla quies, aut ſolatium ita ſatigatam recreabat, atque ſuauiſſimæ cum ſponſo IESV ſermocinationes; quas auulſa mens terris, atque in cælum rapidiſsimo amoris volatu librata, miſcebat amantiſsimè. Etenim animi dulcedine tantâ ſponſam ſuam è cælo Chriſtus perſundebat, vt in amarorem ei verterētur omnes hominum delitiæ. Quare tota in res Diuinas meditandas intenta, vel ſanctorum librorum lectione ſemper animum paſcebat, vel preces fundebat ardentiſsimas, vel denique cum ſponſo ſuauiſsimè ſermocinabatur. Si quæ neceſsitas ad hominum colloquium adigebat (alioqui mirum in modum ſolitudine delectabatur; & frequenter, vbi ſe conueniendam intellexerat, vt vitaret, in latebras ſe abdebat) ſi quæ neceſsitas, inquam adigeret, promicantes ex ore Diuini amoris ſcintillæ, ſatis indicabant, quis in pectore hoſpes, & quantos æſtus ſuccenderet.

ſolitudinis amor

item & fructus.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

deret. Deum omnia ſonabant: ad Deum omnia referebantur: Dei nomine, quidquid fieret, factum volebat. adeò etiam, vt ſi quod ſibi mandatum inaudiret iniungendum, nunquam gratius accidere poſſe affirmaret, quàm ſi Dei cauſâ, atque etiam autoritate ferretur.

Aduerte. Aberramus nimirum totâ viâ cæci mortales; aberramus: qui, ſi quæ Marthæ munia quandoque ſuſceperimus, totos ijs nos ita damus, vt animis Maria videatur exulare, & nihil à profano diſsideamus. graueque poſtea fiat interdum ſepoſitis turbis animum colligere, Mariæque reddere. Aberramus item, quando ſi fortè guttulam ſui fauoris Diuina pietas inſperſerit, velut ad tertium iam abrepti cælum, cetera omnia vel adſpectu dedignamur, & ad mutuæ caritatis officia hominibus præſtanda, quanquam aliquod fortaſſe præceptum impellat, animum demittere, operæ pretium eſſe nō putamus. Maria magna eſt; magna eſt & Martha. verùm ſorores geminæ arctiſsimo connexe vinculo, importunè noſtrâ imprudentiâ ſeparantur.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Donatur diuinitùs incenſo amore in VENERABILE SACRAMENTVM; *& viſo quodam turbatur.*

IAm tum ab adoleſcentiâ, ipsâque adeò pueritiâ, ſibi ſanctiſsimam virginem in ſponſam Diuinum Numen adornabat, & infundebat in eius animam ſe totum liberaliſsimè; vt facilè conſtaret, non ad vulgarem ſanctimoniam deſtinari. Sed tum maximè cæleſtibus fruebatur fauoribus, & animæ rorem miræ ſuauitatis infundi ſentiebat, vbi auguſtiſsimo Miſſæ ſacrificio præſens intererat. Nam cùm aliquando eâ ætate, quæ infantiæ tenebris depulſis, primam rationis lucem admittit, à nutrice ſuâ Sapientiâ, pro conſuetudine, inſtitutoque vitæ cœnobiticæ duceretur ad ædem ſacram, vt aſſueſceret portare iugum Domini ab adoleſcentiâ ſuâ: eam Numinis vocantis vim experta eſt, quæ Deo mentem eius omnino deuinxit. Fortè dum Miſſa perageretur, pro ætatulæ ſuæ captu, ſenſus pietatis, & religionis tanto ſacrificio dignos, in ſeſe nitebatur excitare; cùm delectatus pio conatu Deus, eam veluti poſsidere cœpit; quam nimirum in ſponſam ſecernere, & ad inſtar ſplendidiſsimæ lucis

Primâ ætate,

incipit affici in V. Sacramentum.

ſuper Eccleſiæ candelabrum ſtatuerat collocare. Subitò igitur tantâ ſupernæ dulcedinis ambroſiâ Spiritus ſanctus animulā illam perfudit; vt ſui vix ſatis compos, id vnum tamen intelligeret, nullas hominum eſſe poſſe delitias, quæ cum his vel minimùm conferrentur: eum verò amore flagrantiſsimo prorſus dignum, qui tantæ voluptatis autor, ſui amatores æternùm poſſet beare. Quare admirabili, immensâque illâ ſponſi ſui ſuauitate primùm capta, ſummis incœpit votis, precibuſque amantiſsimis inſiſtere, quo in penetralia Diuini amoris interiora dignaretur admittere. Viſa eſt impetraſſe. in dies enim deinde ſingulos, miro ſanctioris amoris incremēto ſemper aucta, eximio ſanè ſubSacri tempus abripiebatur æſtu; ſed eo potiſsimùm tempore, quo ſacroſanctis verbis in altari ſiſtitur Chriſtus, & ad vſque ſui ſumptionem perſeuerat. Quibus delitijs inuitata, diebus ſingulis ad earum fontem, Miſſam dico audiendam redijſſet, ore pleno hauſura, ſi licuiſſet. Verùm quòd inſolens id eſſet Cornelianis Virginibus, ne fortaſſe ſupra ceteras extolli videretur, aut legem omnibus communem dedignari; cæleſti illo munere malebat carere, quàm inuidiam in alijs, vt ferè fit, in alijs ſui admirationem excitare. Verùm quis flammam illæſo ſinu contineat? Quâcumque corporis exercitatione de-

Singularis cauet videri.

detenta, quouis ſeiuncta loco, cùm ſanctiſſimo Sacrificio dari ſignũ audijſſet, æſtuantem animum coërcere non poterat; ſed manus dare compulſa, loco, vt poterat, opportuno, ſponſo ſuo ſuauiſsimè illabenti ſe permittebat. Hæc fuere veluti prima tyrocinij rudimenta, quibus ad deſtinata Iulianam Numinis prouidentia præparabat. Et iam apta videbatur: cùm * adhuc adoleſcens, precibus ad Deum fundendis intenta, lunam ſibi obiectam videre viſa eſt, illuſtri luce ſplendentem, ſed quaſi orbe fracto, lineâ per diametrũ obſcurâ deformem. Turbauit primùm nonnihil hoc viſum Virginis animum; ſed eo magis, quòd ſecundò iteratum, tertiòve, ac ſæpius, ſemper obijceretur Deum oranti; neque quid portenderet, vllâ coniecturâ poſſet aſſequi. Ergo ne temerè hoſtilibus fortaſſe telis nudum latus præberet: rem totam ſtatuit eſſe præſidibus ſuis aperiendam: vt ſi quid lateret inſidiarum, euaneſcerent. Primùm omnium ſuam mentem totam, quid ſperaret ex viſo, quidve formidaret, qui motus in animo cierentur, in Sapientiæ nutricis ſuæ ſinum candidè deponit: conſulit & alias eius conſodales, quibus ob vitæ puritatem maximè fideret. Neque ſanctæ Virgini omnia tuta timenti, viſum eſt id eſſe ſatis. Iudicio cordatorum quorundam hominum, quos doctrina, ſanctitaſque commendaret,

25. *Viſum ei diuinitus offertur.*

fraudes timet.

mendaret, totam dubitationem ſubiecit. At omnes vno animo, oreque reſpondere: Ancipitem eſſe rem, magni periculi plenam. ſi in tutò ſe vellet, non facilè quicquam tribueret eiuſcemodi portentis. Parere monentibus fixum erat Iulianæ. Verùm magno quantumuis ſtudio, oculos, animumq; auertenti, idem ſemper obuium recurrebat: neque quidquam proderat, tota, quam adhiberet, induſtria. Proprijs ergo non contenta munimentis, quæ minùs iam valida putaret; externa quæſijt ſubſidia, preceſque ad Deum pro ſe fundendas emendicabat, quarum vi, dæmonis impugnationibus expediretur. Neque ſic profecit. aliò, quàm in terroris autorem torquebantur tela, aut clypeus obijciebatur. Et verò is erat autor Deus, quem delectarent potiùs, quàm læderent, aut propulſarent arma virginis. Placebat nimirum vultu, habituque diſsimulato cariſsimam ſponſam experiri, & quaſi ludere: cùm ſatis conſtaret virgineum illum terrorem puriſsimo Numinis amore incuſſum eſſe: cui ſuo deinde tempore, gaudio maiori, inſperatoque honore tota res aperiretur.

animum aliò conuertere nititur:

fruſtra

CAPVT

CAPVT VIII.

Sanctitatis opinione celebratur; & à multis conuenta quo modo ſe habeat.

QVæ ita defixos in ſe Diuinæ Majeſtatis oculos tenebat clariſsima Iulianæ virtus, hominum oculos diutiùs fugere nō potuit. Atque in primis Sapientia, cùm monaſticâ eam diſciplinâ, omnibuſque pro cōditione virtutibus imbueret; inuigilabat omnibus occaſionibus, & quam frugem redderet, ſuam explorabat ſementem. Eos igitur progreſſus deprehendit ab ipsâ ſtatim infantiâ, atque ætate creſcente ſemper maiores, vt ſibi ſeu plantaſſet, ſeu rigaſſet, nihil meritò videret arrogandum: ſed totum id omne tribuendum ſoli, qui incrementum dat, Deo. Quamobrem tacita primùm ipſa ſecum Numinis bonitatem admirabatur, quæ iſti ætatulæ tam liberaliter ſeſe permitteret. At vbi demum frugem ſemper vberiorem notauit; anguſto pectore exundauit lætitia in ſodales, quibus eximiam hancce virgunculam, ceu illuſtre virtutis omnis ſpecimen proponebat. Atque vt ad eius inſtar latiùs propagaretur Dei gloria; non domeſticis modò, verùm & alijs quibuſdam honeſti ſtudioſis ad imitationem exhibuit. Quo factum *Clareſcit Iuliana ſanctitas*

eſt, vt latè iam ſanctitatis opinione celebraretur; & multis eius ambiretur familiaritas. Sed ea fuit occaſio pulcherrima, veram, germanamque virtutem teſtandi. Nã vti apud animos quoſcumque ſemper ſui veneratione virtus promeretur; quo reuerentiùs ab omnibus colebatur, eo ipſa de ſe viliùs ſentiebat: eaſque pudoris virginei notas præferebat, quibus omnes intelligerent modeſtiſsimæ virgini nihil ingratius accidere poſſe. Moleſtius porrò erat, magnâ hominum cuiuſuis ordinis, & conditionis frequentiâ conueniri; cuius quidem nullam in ſe cauſam deprehenderet, ſed potiùs omni ſe cõtemptu digniſsimam arbitraretur. Quam ob cauſam ſi hominem quempiam grauem ad ſe venturum intelligeret, latebras quærebat, in quas ſe abderet; vt ſine offenſione venientes à ſe dimitteret, quos reieciſſe non videretur. Si verò ab illis occupata, latibulo aliquo colloquium ſubterfugere nequiret, rogata vt de Diuinis rebus diſſereret, modeſtè reſpondebat: ſe vilem cœnobij famulam, operibus innutritam ruſticanis, aptiùs conſuli poſſe de pecoris curâ. At vos, inquiebat, qui ingenio, facundiâ, cæleſtiumque rerum ſcientiâ polletis, quod æquius eſt, rudiorem virginem edocete: in veſtram ego lubens tranſibo diſciplinam. Ita ferè Iuliana, cùm adoleſcentior eſſet. ſed ætate pro-

Sed eo magis tenebras quærit.

uectiori,

uectiori, cùm huiuſcemodi congreſſus nec ſemper declinare poſſet, nec deceret; mentem vi tantâ reluctantem ſentiebat, vt dicere ſolita ſit, ignis purgatorij cruciatus ſibi non poſſe eſſe grauiores. Tanta inerat ſanctiſsimæ virgini ſuiipſius abiectio, & contemptus. Nam profectò ſi ab hominibus notæ minoris conueniretur, vnde nulla gloria, vel ſplendor poſſet exſpectari; tum libentiùs, liberiùſque ſui poteſtatem faciebat. ſummoque animi ſenſu, de æternâ bonitate, de fugâ vitiorum, recti proſecutione, futuris à morte ſupplicijs, vel præmijs, quemadmodum ex re cuiuſque eſſe videbatur, diſſerebat.

Cum rudioribus lubens verſatur.

CAPVT IX.

Mirandâ religione in ſanctum Miſſæ ſacrificium afficitur.

INter præclara cetera, quibus alumnam ſuam benignitate Numinis excultam Sapientia deprehenderat, non poſtremum illud exiſtimauit; quòd, cùm ſacris intereſſe quotidiè non poſſet, ſine quâpiam oſtentationis ſpecie, vt ſuprà demonſtrauimus; magno nihilominus animi ſenſu, fructuque mirabili, ſub horam ſacrificij, vbi locus, tempuſve tulerant, colligeret animum, & veluti præſentem Miſſæ ſiſteret. Id verò

Digitized by Google

eximium rata, neque communi ceteris lege coërcendum, aut certè diutius ſtimulo recalcitrandū: ſed ardori ſancto quippiam ſtatuit indulgere. In eâ, quam adhuc incoluerat, villâ, ſacrarium extruxit, quo ſe reciperet Iuliana ab hominū turbis, vni Deo adhæſura. Tum demum viſa eſt ſancta Virgo delitijs tota cæleſtibus imbui. Nam ab omni tumultu ſemota, cælumque tantùm ſpirans, dato ad ſacrificium Miſſæ ſigno, illum ſponſi ſui thalamum ſubibat, & amore Diuino ſe præbebat ſuccendendam. Ea quippe eſt æternæ maieſtatis pietas, vt quanquam neque loco, neque tempore, neque voluntate hominum concludatur; tum tamen potiſsimùm ſeſe explicet, & totam infundat eo liberaliùs, quo mentes inuenerit ad excipiendum paratiores. Quam ob cauſam cùm ſe Iuliana tàm liberè Deo daret, quàm ab hominum aberat conſpectu; tantâ in eius animum vi Deus influebat, vt totum ſingulari quodam modo ſui iuris feciſſe videretur. Adeò vt iam non in illo dumtaxat penetrali ſuo, à Deo ageretur; verùm etiam publicè tandem in æde, cùm ſacro adeſſe permittebatur, ab eo maximè temporis articulo, quo præſentem in altari ſe Chriſtus ſiſtit, animum igne cæleſti æſtuantem prodere cogeretur. Tam validis quippe ſuauitatis pluſquam humanæ illicijs deuinciebatur, vt loco pedē moue-

Creſcit religio in V. Sacramentum:

à ſe Iulianam abripit:

re

re non poſſet: donec Sapientia, aliæve ſodales, quo corporis valetudini proſpicerent, vi factâ, abreptam domum reducerent. Nã profectò malè eas habebat tenerum, afflictumque ſodalis ſuæ corpus, quod anima aliò violentè rapta negligere videbatur, eiuſq; vires impari rerum ſupernarum mole atterere. Quare cùm aliquando ita, vt diximus, domum reduxiſſent, viribuſque imminutis aduerterent infirmiorem; ex eâ quærebant, quid ſibi ad menſam cuperet inferri, quo reficiendum corpus exiſtimaret. At illa, quæ ceteras, præ illis, quas guſtauerat, delitias flocci faciebat, ore ſubridenti: Si quippiam, inquit, mihi indulgetis; quod optimum eſt, lautiſsimumq; mihi curate. His nominibus cęleſtes delitias inuoluens, præter quas nihil lautũ cenſeret. Illæ, quod voces ſonabant, accipientes, ſtudiosè, & ex ſincerâ caritate conquirebant, quod palatum irritaret; & apponebant. Iulianæ verò pretioſior fames erat, quàm vt terrenis his quiſquilijs caperetur. Nę pium nihilominus ſtudium, beneuolentiamque ſodaliũ videretur aſpernari, vim ſibi faciens, tantillum ſumebat, quantum quicumque videret, negaret ſatis eſſe hominis corpori ſuſtinendo. At poſtea ſibi relicta, cùm alia ſentiret animæ ſuæ à ſummo paſtore parata paſcua, in ea ſe quàm citiſsimè referebat, eſcamque cæleſtẽ auiditate tantâ, & ſuaui-

cibi faſtidiũ creat.

 tate

Digitized by Google

tate ſumebat, vt animo vires in immenſum pene creſcerent, ipſumq; adeo corpus reficeretur.

CAPVT X.

Poſt ſacram Communionem omne colloquium vitat. Diuinitus ei aperitur cæleſte decretum de feſto Corporis Chriſti.

SEd quo animi ſenſu ſanctiſsimam EVCHARISTIAM ſumeret, etſi præterirem ſilentio; ſuo nihilominus vnumquemque iudicio ſatis aſſequi putarem. Nam quę ex ſolo ſponſi ſui conſpectu, & meditatione, vt ante hæc docuimus, ita amore exardeſcebat: quid factum fuiſſe arbitramur, vbi ſponſum illum ſuum in medium pectus receptum, amoris ardentiſsimi licebat vlnis amplecti? Non aberraturus videtur, quiſquis dixerit, ignem fuiſſe totam, totam amorem. Neque reor equidem poſſe pluribus explicari. ſcintillas tamen aliquas ſubinde colligamus. Poſt admiſſum in pectoris penetrale ſponſum ſuum IESVM, vt pro eius majeſtate, ſuoque amore retineret; indignum cenſens in cuiuſquam alterius colloquium venire; ad octo dies totos ſibi ſilentium indicebat, nunquam infractura, niſi bonum aliquod ingens, aut grauis neceſsitas poſtularet. Tantum temporis ſpatium, ſoli virgini videbatur exiguum, quo ſuauiſſimas

Octo dies ſilet:

Digitized by Google

ſimas cum ſponſo ſermocinationes miſceret, eiuſque caſtiſsimis frueretur amplexibus. At æquo longius, adeòque periculoſum ratæ ſodales, cùm ad cõmunem viuendi rationem reducere tentarent: contrà amanter rogabat ipſa, menſem ſibi ſaltem indulgeri: quo toto, neq; cibi terreni quidquam ad ſe inferretur, vbi tam liberaliter afflueret cæleſtis: neque præterea cuiquam ad ſe aditum permitterent, immo nec adirent ipſæ; quòd indignum videretur ſponſi cæleſtis ſuauiſsimos ſermones, hominum colloquijs interrumpi. At ſiue plura occurrerent impedimenta, ſeu eius valetudini conſuleretur, nunquam id permiſſum. Habes ex his, non quotidie refectam fuiſſe Angelico pane Iulianam, non quot hebdomadis; adeoq; menſes totos ieiunam manſiſſe. Neque profectò viribus is eſt firmiſsimis, qui ſæpiſsimè, plurimiſque cibis, quanquam optimis, ſtomachum opplet. Ita fallimur, qui quo frequentiùs Diuinâ hac eſcâ paſcimur, hoc viuidiores nos credimus, & valentiores, niſi præcipuâ quâdam reuerentiâ ſuſceptam, amore flagrantiſsimo cõcoquamus. Non ergo quàm ſæpe, ſed quâ religione, cultu, venerationeque cæleſtis hicce panis ſumatur, noſtrâ multùm intereſt. Ceterùm inter hæc læta, neſcio quid ſubtriſte Iuliana verebatur; cùm eo maximè tempore, quo optatiſsimis ſponſi complexibus

abſtinetq; omni cibo

Nota.

Quæ optima Cõmunio.

Oblato ſæpius viſo turbatur Iuliana.

Digitized by Google

plexibus frui ſe ſentiebat, viſum id adhuc obijceretur, quod ſplendentem quidem lunæ globum, ſed quâdam caligine veluti medium referebat diffractum, vt antè demonſtratum eſt. Quod cùm neque omni ſuo ſtudio, induſtriâque, neque alieno ſubſidio, quod ſæpius ad id implorauerat, diſcutere potuiſſet: venit in mentem aliquando cogitare, futurum fortaſſe potius, attentâ mente rem totam perpendere, ſi quid eâ Numen portenderet. Eò igitur animum conuertit, vt ſummis à Deo precibus enitetur oſtenti huius explicationem impetrare. Nec euentu falſa eſt. In altam aliquando ſupernorum myſteriorum ſe dederat contemplationem, cùm in amicum ſuauiter ſoporem ſoluta, totius ſibi dubitationis ambages omnes ſenſit euolui. Diuinitus enim didicit, militantẽ Chriſtianorum Eccleſiam illuſtri lunæ globo ſignificari; cui tamen ad ſplendorem integrum, ſolemne quoddam feſtum deeſſet: quod addi poſthac ceteris ſtatuiſſet Deus, & in ſummâ apud omnes eſſe iuberet veneratione. Eam quippe mentis æternæ voluntatem eſſe, vt prima auguſtiſsimæ, & ſacroſanctæ EVCHARISTIAE origo, non eo tantùm die, qui ab eâ quidem Cenæ ſibi nomen induit, recolendis tamen alijs occupatur myſterijs; ſed alio quodam proprio, per orbem vbique Chriſtianum ſingulari

Sed tandem intelligit ſignificari Feſtum Corporis Chriſti in Eccleſiâ ſanciendum:

tribus ex cauſis

gulari

gulari religione celebraretur: idque tribus potiſsimùm ex cauſis. Primùm vt ſinceræ in Deum,& Diuina fidei confirmaretur integritas,quæ poſterioribus ante mundi excidium ætatibus labefieret plurimùm, ac imminueretur: Deinde vt hominibus recti amantibus inſtructiſsimum eſſet, cùm ad progreſſus ſemper vberiores faciendos, tũ ad propellendam vim hoſtium, præſidium. ac denique vt, quod negligentiâ hominum quotidianâ, & quandoque fortaſsis impietate, contra ſacroſanctam Myſterij huius majeſtatem peccatum fuerit,debito,& ſinceriore aliquando cultu expiaretur. Porro ſanciendi huius feſti nuntiam, & autorem primam ſe comperit eſſe deſignatam. At quàm erexerant, compleuerantque gaudio priora illa;tam perculit hoc extremum ſanctiſsimam virginem. Atque vt raræ cuiuſdam erat modeſtiæ, & quàm abiectiſsimè de ſe ſentiebat; animum inducere non poterat, rem tantam à ſe peragi poſſe, & debere. Quare non minore iam ſollicitudine, ardoreq; animi, quàm antè petierat oſtenti ambages reſolui, plurimos annos munus hoc deprecari cœpit. Sed æterna eſt, & immutabilis oraculi Diuini veritas: *Qui ſe humiliat exaltabitur.*

Margin notes: 1. 2. 3. *idq; ſe autore:* *vnde noua lucta.*

C A-

CAPVT XI.

Graue teſtimonium de virginibus iſtius ætatis; ac de ipſâ Iulianâ.

ANnum ætatis viceſimum iam attigerat Iuliana; & poſt Chriſtum natum vertebatur milleſimus ducēteſimus & duodecimus; cùm * Brabantiæ Dux graue bellum Leodienſibus intentans, ipſo die, quem aſcendenti in cælos Chriſto conſecramus, ciuitatem nihil tale metuentem, adeòque imparatam irrumpit, totoſque ſex dies direptionibus, ac cædibus complet. Quid animi fuerit ſanctiſsimæ virgini Iulianæ, hac reip. calamitate, nihil inuenio litteris proditum. Non abs re tamen videatur, eam facere participem præconiorum, quæ hoc caſu, alioqui miſerando, Iacobus de Vitriaco ſcribit de virginibus Leodienſibus; inter quas locum minimè poſtremum tenuit Iuliana. Ita ille: *Quæ Deo adhæſerint in deuaſtatione Ciuitatis Leodienſis, ſatis compertum eſt. Quæ enim ad Eccleſiam confugere non poterant, in flumen ſe proiecerunt; magis eligentes ſic mori, quàm damnum caſtitatis, vel virginitatis incurrere. Quædam etiam in ſtercorarias ſentinas proſilientes, malebant extingui fœtore, quàm ſpoliari virginitate. Itaq. clemens ſponſus ſponſis ſuis dignatus eſt prouidere. & in tantâ multi-*

26. Leodium vaſtatur.

Virginum fortitudo eximia:

multitudine non eſt inuenta aliqua, quæ mortem corporis, vel detrimentum incurreret caſtitatis. Cùm autem vna illarum ſanctarum mulierum periculosè laboraret in flumine; duo ex hoſtibus cùm nauiculâ ad eam venientes, eam in nauim traxerunt, vti ei turpiter commiſcerentur. ſed quid eſſet actura, caſta inter lenones, agna inter lupos, columba inter accipitres, cogitabat. Maluit iterum fluuio ſubmergi, quàm corrumpi. Naui proſilijt inter vndas: cùmq; nauis ex impetu ſalientis mergeretur, ſimul & illi duo merſi perierunt. illa verò per Dei gratiam, ſine damno corporis aut animæ, obſequente fluuio ad ripam peruenit. Hæc Iacobus de Vitriaco in litteris ad Fulconem Epiſcopum Toloſanum datis. quibus fusè Leodienſes virgines iſtius ætatis, raro ſanè encomio commendat: eaque ſubinde prodit, quæ Iulianam ipſam, ſuppreſſo quantumuis nomine, deſcribere videantur. Nihilominus cùm ſolis niti coniecturis non placeat, hæc volens prætereo; ne vbi veræ, ac propriæ laudis vberrima materia ſuppetit; incertis, & aliunde quæſitis præconijs faſtidientem lectorem morer. Ea verò proponam, de quibus ambigere non liceat; & Iulianæ virtutem reddant indubitatam; mortaliumque animos ad imitandi ſtudium propellãt. De eâ Blærus articulo primo paucis multa colligit in hæc verba: *Ab ineunte ætate, gradatim ad virtutum, ac etiam ſcientiarum culmen*

& felix pudicitia.

per

per Dei gratiam aſcendit. De cuius virginis humilitate, obedientiâ, deuotione, atque orationum inſtantiâ, multi libri ſcripti ſunt; in quibus inuenitur crebrò in cælum per mentis exceſſum fuiſſe rapta, atque ſpiritu prophetico euidentiſſimè claruiſſe; adeò vt proximorum cogitationes, atque cordium intentiones proderet. Hæc luctabatur cum diabolo, loquebatur cum Apoſtolis, fulgebat miraculis. Quæ quidem quàm vera ſint, ſatis intelliget, quicumque totam eius vitam perlegerit; ſed maximè decem capita proximè ſequentia. In ea enim coniecimus rariora quædam Iulianæ dicta, factave; quæ vndequaque conquiſita in meliorem ordinem, ſeruatâ temporis ratione, deſcribere non potuimus.

CAPVT XII.

Quâ affectione animi, feſta Chriſti, ac in primis patientis, & in cælos adſcendentis coluerit; item Magnæ Matris: eiuſq; amor.

IVlianæ ardor, quem iam eximium fuiſſe oſtendimus, in ſanctiſsimũ Chriſti IESV CORPVS velo ſacramentali conditum, nec excitari potuit, nec foueri, ſine ſingulari quâdam in vitam eiuſdem totam reuerentiâ. Quare feſta omnia, quibus præcipua illius, adeoque Virginis Matris myſteria colimus,

Digitized by Google

limus, ea religione peragebat, quæ amantiſsimam ſponſi ſui virginem eſſe teſtaretur, & caſti amoris ignes ſubditâ face ſuccenderet. Suum quem ipſa ſibi pro animi ſenſu conſtituerat, annum inchoabat ab eo die, quo Virginem Angelus Dei parentem ſalutauit: inde ſingula, quo peracta ſunt ordine, percurrens, ibi finiebat, vbi partâ hominum ſalute, Chriſtus in cælum euectus eſt. Porrò ad feſtum ita ſe comparabat, vt noctem, quæ præcederet, vel totam, vel maximâ ex parte duceret inſomnem, & in rerum ſanctiorum ſtudium, piamque meditationẽ impenderet. Quibus incenſa mens, ardentiſsimo pietatis affectu demirabatur, & amabat Deum ſuum, in puriſsimâ MARIAE Virginis aluo, noſtri causâ, ſibi naturam humanam induentem; ibique nouem menſes ceterorum inſtar latitantem. At quâ deinde voluptate natum infantem amplexebatur, & pectori apprimebat; aut vbera materna ſugentem contemplabatur? Quo dolore, octauo die, vel è vulnere ſanguinem, vel lacrymas ex oculis profluentes colligebat? Verbis vllis nemo ſatis exprimat; cùm ipſa, quæ ſentiebat Iuliana, nunquam potuerit explicare.

§. I. De Chriſti patientis memoriâ quid dicam? Profectò in æde ſacrâ, cùm vel minima fieret mentio, grauiſsimo confecta dolore, tantam lacrymarum vim, & velut *In Chriſtum.*

imbrem oculis profundebat, vt non genas, aut veſtes modò, ſed ipſam, cui inſiſtebat, terram perplueret. At vbi carmen *Vexilla Regis prodeunt* cōcini audiebat, tam acri derepentè dolore corripiebatur, vt voce contentâ exclamare quandoq; cogeretur: temploque eſſet educenda. nec enim eius arbitrio, ſed magnâ doloris vi, concitatioreque mentis impetu, voces iſtæ prorumpebant. Hinc etiam ſubinde animum inceſsit ardens deſiderium Crucis, vt ei confixa, toto ſpectante hominum genere, animam ei poneret, qui pro nobis poſuit prior. Quod cùm aſſequi non poſſet; animum ſaltem Cruci tam valido amoris nexu, doloriſque clauis configebat, vt, ſi menti habenas laxaſſet, Diuini amoris æſtu abrepta, nunquam deinde ad corpus reditura ſibi videretur. Adeò & à pueritiâ hiſce rebus contemplandis aſſueuerat, & diuinitus cæleſti gratiâ perfundebatur. Cæterùm, quod ad rem faciat, qui familiariùs virginem nouerant, corporis vires infractas à primâ ſtatim ætate, tantamque infirmitatem tribus potiſsimùm cauſis adſcribebāt: primùm laboribus, quibus in villâ, quam diximus, exercebat corpus, ſanè immoderatis, niſi Numen, quo agebatur, excuſaret: deinde frequentiſsimæ de Chriſto patiente meditationi: tertiò ardentiſsimo in Deum amori, quo ſibi non relinquebatur. Ita Chriſti cru-

Crucem amat:

Crucis meditatione vires infringit.

cruciatus, aliaque item myſteria aniuerſariâ gratitudine recolebat.

§. 2. Sed cultu ſingulari eum venerabatur diem, quo ſalute hominibus iam partâ, in cælos ad Patrem redierat. Nam tum velut illuc etiam ſponſum ſuum nihilo minùs, quàm per vitam reliquam, ſecutura, tecti alicuius anguſtijs concludi ſe quandoque non patiebatur; ſed, ſi valetudo ſineret, foras egreſſam, aut certè elatam, patens cælum intueri iuuabat. Etenim videre tum ſibi videbatur Chriſtum Dominum vi ſuâ, nobiliq; triumpho cælos penetrantem, inter feſtos beatarum mentium concentus; quibus ſuos ipſa coniungeret. Et verò aliquando contigit, vt hoc die, cùm ad feminam quandam ſanctâ ſecum neceſſitudine coniunctam adijſſet; deſubitò tam liberaliter eius ſe menti Deus infunderet, vt corpuſculum tantæ majeſtatis impatiens diſrumpendum videretur. Anxia hoc Iulianæ periculo femina, dum releuare & quâ poteſt ratione, æſtuantem fouere nititur: ecce ex imo pectore, nullâ per os apertâ viâ, Iulianæ vocem auribus percipere viſa eſt. Illa faculas aliquas amoris, è plenâ fornace pectoris emicare debere rata; Iulianam hortatur, aliquâ ſaltem voce pectoris anguſtias liberè laxaret; nullum, qui exciperet, adeſſe arbitrum. Et paruâ poſt morâ, non aliter ac ſi ingentem eluctata molem, in

Chriſtum abeuntem in cælum animo ſingulari veneratur:

velut abeuntem ſequitur.

Digitized by Google

contentam, claramque vocem erupit: Abijt Dominus meus. ſibi deinde redditam ſanctam virginem, ceu ab amantiſsimo deſertam ſponſo, grauis mœror occupauit: donec in mentem veniret auguſtiſsimi CORPORIS Chriſti Domini, in Eccleſiâ relicti. tum enim demum ipſa ſe colligebat, recreabatque ſuauiſsimâ illa ſponſi ſui promiſsione: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

§. 3. Peractis his Chriſti IESV feſtis; quæ intercurrebant alia Magnæ Matris, Sanctorumque (quos ſanè ſponſi ſui amicos, ſummo ſtudio, reuerentiâque proſequebatur, vt aliàs ſubinde docebimus) ſuo venerabatur cultu, & honore. Sed prima, vt par eſt, in MARIAM Dei parentem erat religio; quòd ex æterno Diuinæ Sapientiæ decreto, de puriſsimo eius ſanguine, ſacroſanctum ſibi CORPVS Deus effinxiſſet. Quod ſanè potiſsimùm in Virgine Matre videtur coluiſſe. Nam etſi feſta eius omnia, inſigni honore coluerit: ſed ea præcipuo quodam affectu, quibus vtero Numen, vel concepiſſe, vel edidiſſe mundo, vel medio tempore quippiam aliud egiſſe, meminit Eccleſia. Et certè ipſo Virginis ab Angelo ſalutatæ feſto, miris affluebat omnino delitijs, cùm attentiori animo ſingula perpenderet verba ſalutantis Angeli, Virginiſque reſpondentis. ſed tum maximè, cùm expreſſo conſenſu

Tenero amore Mariam colit

eius in Incarnationem conſenſum libenter expendit:

Digitized by Google

ſenſu *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, æternæ majeſtatis parentem eſſe cœpiſſe intelligeret. Quâ causâ ſalutem quidem Angelicam ore voluebat frequentiſsimè, quam ſanctiſsimæ Virgini gratiſsimam accidere ſatis conſtat: ſed quia longè gratiſsimum putabat adiungi, datum his verbis conſenſum; lubentiſsimè ipſa, magnoque animi ſenſu, ſubiungere ſemper ſolita eſt. Atque vti celeberrimum cupiebat eſſe patronæ ſuæ inter mortales honorem: ita omnibus, quibuſcum aliquam contraxiſſet familiaritatem, perſuadebat Angelicæ ſalutationi, Virginis aſſenſum adderent ipſi; immo vt quàm plurimis eiuſdem eſſent autores, hortabatur. affirmabatque ita quodam modo renouari gaudium, quo delibuta fuit Beata Virgo, cùm verbis hiſce prolatis, æterni Numinis mater effecta eſt.

Eiuſdem item alijs autor eſt.

§. 4. Porrò non minore ſtudio Iuliana, in alijs excitare conabatur, quem in ſe ſentiebat, animum in Virginis-parentis canticum *Magnificat anima mea Dominum*, quod olim cum Eliſabetham adiret, afflata Numine cecinit; vt admirabile illud in ſe bonitatis Diuinæ beneficium extolleret, quo ſupra omnem hominũ dignitatem, in Conditoris ſui parentem erat adſcita. Quapropter cùm ei carmen hoc non eſſe gratiſsimum non poſsit: recitabat Iuliana magnâ voluptate Matri ſuæ optimæ diebus ſingu-

Pari modo afficitur in cãticum Magnificat.

lis nouies, quòd nouem menſibus Dei filium vtero tuliſſet. Atque vt idem præſtarent, neceſſarios ſuos omnes, atque familiares hortabatur. rationemque addebat; quòd nunquam exiſtimaret futurum, vt repulſam pateretur, qui à Deo non alienus, quippiam animæ conducens, Numen rogaret, interpoſitâ MARIAE Virginis autoritate; cui gaudium, quo erupit olim in hoc vaticinium, diebus ſingulis renouaſſet toties, quot mēſibus vtero Deum geſtauit. Toto igitur animo deſiderabat, vt idem vſurparent quamplurimi, ſed potiſsimùm virgines Deo ſacratæ; certa maximam inde frugem naſcituram omnibus, quæ id factitarent.

CAPVT XIII.

Annos triginta ieiunat, parciſsimo cibo, ſomnoq; contenta.

DE Iulianæ ieiunijs, quibus ſe ad feſta celebranda præpararet, nihil diximus; vel quia fuere adeò frequentia, vt cum feſtis minimè iungenda videantur; vel quia proprium ſibi locum poſtulant. Etenim ab ipsâ ſtatim adoleſcentiâ communi ceteris virginibus lege non contenta, ſeueritate magnâ multa ſibi ieiunia indicebat: ac tandem eò proceſsit, vt totos triginta annos, eoque

eoque plures, ad mortem vſque, nullo die excepto ieiunârit. Corpus autem reficere ſolita eſt ſub noctem, cibo tam parco, vt quicumque viderent, ſibi perſuaderent vitam non poſſe eſſe diuturnam, niſi *inuiſibili cibo* Deus paſceret. Ità factum eſt aliquando, vt quos officij causâ, familiariùs adijſſet, nimiæ auſteritatis, ac pene pertinaciæ arguerent, quòd de ieiunij ſeueritate nihil vnquam remitteret; adeòque vrgerent, vt ſecundam corporis refectionem admitteret: quam tandem opportunis, importuniſque ſollicitata precibus, cùm reijcere non poſſet, ne ſuæ ſententiæ tenacior videretur; ferculum quidem aliquod inferri paſſa eſt; ſed bolum in os receptum cùm cõminuiſſet, iteratòq; dentibus attritum, in omnem palati partem volueret, reuolueretque; minimam eius particulam nunquam potuit in ſtomachum traijcere. Scilicet vel in naturam abierat ieiunandi conſuetudo: vel Deus, cuius voluntate, ceu cibo, veſcebatur, cæleſti potiùs, quàm terrenâ eſcâ refici ſponſam ſuam, volebat eſſe manifeſtum. At illi exiſtimantes tollendam fortaſſe difficultatem, ſi delicatior cibus apponeretur: aſſum aliquando gallinæ pullum, & opiparè conditum intulerunt. illa pelliculæ perparum extremo digito decerptum, nihilq; amplius ſumſit. Oblata deinde aromata, quibus ſaltem reficeretur, admittebat qui-

Vnicam cibi refectionem admittit:

neque plures admittere poteſt

 dem,

dem, ne piam offerentium caritatem offenderet; ſed comminuta in ſtomachum cùm demittere non poſſet, clam ore excuſſa mantili celabat: quo ſublato eadem, quæ fuerant data, niſi quod eſſent contrita, reperiebantur. Porrò quis, quantusve eius fuerit cibus, hinc habe. Inuiſebat fortè feminam quandam ſibi perfamiliarem: ſymbolum conferre placuit. piſorum tantillum contulit, quantum, vti pleriſque loqui placet, pullo columbino ſatis eſſe non putares. id ſibi aquâ decoctum deferri petijt, ſtatuto tempore, delatum ſumſit. Hæ virginis erant delitiæ: ſi delitias vocare fas ſit, quas non niſi naturâ reluctante poterat admittere. Nam profectò quò parciſsimum illum cibum ſumeret, à Deo antè precibus euincebat, ne hominum oculos, & admirationem incurreret, ſi præter naturæ leges ceteris animantibus cõmunes, nullo viuere cibo deprehenderetur. Id nimirum ſemper eluxit in Iulianâ modeſtiæ ſtudium, vt quę in ſe munera profundi à Deo liberaliſsimè ſentiret, ſibi ea ſoli eſſe nota percuperet; precibuſquę à Deo contenderet. Ceterùm amicis familiarioribus dicere ſolita eſt: Edere, bibere, colloqui ſibi moleſtum eſſe, admodumque graue. Cui enim terrena, humanaque omnia non deſipiant, cùm tam profusè cæleſtes delitiæ promuntur? Cibo non abſimilis erat ſomnus, quippe breuiſsimus,

Latere cupit.

Breuiſſimi ſomni eſt.

mus, & qui viribus vllis reparandis par eſſe non videretur. at nocte, quæ feſtum aliquod præcederet, perſæpe nullus, vt ſuprà demonſtrauimus. Vigilias porro ducebat negotioſiſsimas: aut enim in ſanctarum, cęleſtiumque rerum meditationem, vel lectionē incumbebat, aut fundebat ad Deum preces.

CAPVT XIV.

Sanctis collocutionibus multos, Euamq; in primis iuuat.

DIebus, noctibusve tā religiosè tranſactis, animus, qui non niſi Diuinis acquieſcebat, quid ore, niſi ignitas amore cæleſti faces, emittat? ſermonis quidem Iuliana fuit parciſsimi: ſed quemadmodum eo viuidior erumpit flamma, quo pertinaciùs obtecta latuerit: ita ſi quando conceptos animo ſupernos ignes familiari ſermone in homines profunderet; mirum quanto animarum bono, ſanctos in eis æſtus ſuſcitaret. Aliquot mox exemplis comprobabo.

§. I. Virgo quædam Leodienſis Eua nomine, eâ florebat ætate, cuius illecebris allecta, voluptariam, ſuauemque vitam ſibi poterat polliceri; cum fortiori æternæ pietatis impulſione, de vitâ ſanctiùs inſtituendâ cogitare cœpit. Placebat ab hominum *B. Eua ſanctiorem vitam meditatur.*

 ſtrepitu

ſtrepitu, & concurſatione ſemotam Deo vitam in cellâ clausâ dicare. Religioſum tum temporis, vti & ad noſtram vſque ætatem, habebatur eiuſcemodi vitæ inſtitutum, quo ſolus quiſpiam arctâ viueret concluſus casâ, quæ ferè templo eſſet contigua, vt in id è feneſtrâ conſpectus eſſet, vnde rem ſacram peragi videret. Id ferme modò, in tantâ Religioſorum ordinum varietate exoleuit; cùm potius videatur, & ad honeſti ſtudium vtilius, tutiusve, ſi cui tanta ſolitudo placeat, in monaſterio vitam agere, vbi & quies abundè ſuppetat, & humanæ ſocietatis commoda periculum omne propulſent, mutuamque ad bene agendum excitent æmulationem. In hanc igitur ſolitudinem inclinabat Euæ animus. ſed vel arduum vitæ inſtitutum, vel inuidiâ ſolitâ dæmon deterrere cœperant, quas abijceret voluptates, quamve amplecteretur vitæ ſeueritatem, oſtentando. Audijt Iuliana; & ne amicæ virgini deeſſet, quâcum religioſam contraxerat neceſsitudinem, ad Euam adijt, ſanctumque eius propoſitum tam fortiter obfirmauit, & validis ſepiuit munimentis; vt omni iam miſſo timore, totâque in vno Deo ſpe collocatâ, nihil arduum in Conditoris noſtri causâ reputaret. atque ſtatim ſacræ caſæ ad Sancti Martini (templum id eſt Leodij in Publico monte celeberrimum, vnà cum nobili

ſed abſterretur difficultatibus.

nutantem Iuliana confirmat

biliCollegio Canonicorum, quod illuſtrem in primis hac hiſtoriâ laudem meretur, vt deinde oſtendemus) ſponte ſe includeret, vni Deo vitam actura. Verumtamen adeò potentem Iulianæ orationem, miramque perſuadendi vim experta, hanc interuenire legem amicam voluit, quâ ſingulis ſaltem annis, Iuliana clauſam ſodalem inuiſeret, nouum, vbi opus eſſet, ſubſidium additura. Magnâ fide, & vtriuſque bono deinde factitatum dicemus: frequens enim erit de Euâ mentio, magnamque ſibi partem in hac hiſtoriâ vendicabit.

§. 2. Decumbebat Iuliana in cœnobij dormitorio, ægritudine affecta, quam non corporis intemperies aliqua, vt ſodales opinabantur, ſed ſponſi cæleſtis amore ſuccenſa febris concitabat. Aduenit virgo quędam ei perfamiliaris, colloquium poſtulãs. quæ cùm audiſſet tertium iam diem, lecto affixam morbo detineri: Intelligat tamen, inquit, adeſſe me: fortaſsis admittet. Nuntiatur Iulianæ; admittitur. Poſt datam, acceptamque ſalutem mutuam: Accęde propiùs, inquit Iuliana, vt inuicem de Deo, Diuiniſque colloquamur; ſed antè ter ſanctiſsimæ Trinitatis ope imploratâ, cuius beneficio, ſermones mutui mentibus alacritatem, fructumque pariant. Vix vota fecerant; vix cœperant colloqui: cùm virgo illa inſolenti animi voluptate perfuſa, ad- *Magnâ animi ſuauitate de Diuinis diſſerit:*

mirabilem

mirabilem cæleſtis amoris ardorem animo ſenſit inijci; quem ſecundum Deum vni Iulianæ totum referendum eſſe exiſtimaret. Quòque minùs dubitaret, mirando comperit experimento. Nam cùm dimitti deinde poſtulaſſet; annuit Iuliana, & caritatis amicũ pignus diſcedenti pomum dedit. Quæ vbi domum deueniſſet, inceſsit animum cupido pomi deguſtandi: guſtat, dulcedinemque prorſus inſolentem deprehendit. Obſtupeſcit ipſa, & quam antè perceperat animo ſuauitatem, quamdiu cum Iulianâ fuerat collocuta, eandem palato potiùs inſidere ex animo deriuatam ſuſpicatur, quàm ex ſapore, quem vlli pomo natura indiderit. Vt certior redderetur; quod ſuperarat pomi, in ſodales domeſticas partitur, vt ſi ſola primam illam pomi dulcedinem experiretur, ſibi potiùs, quàm pomo tribueret. ſin autem & reliquæ eandem ſuauitatem percipiant; eam ineſſe pomo iudicaret, quam in Iulianæ ſponſæ ſuæ amantiſsimę gratiam Deus impreſsiſſet. Guſtarunt omnes, affirmaruntque obſtupefactæ, nihil vnquam eiuſcemodi dulcedine conditum percepiſſe. Quare certiſsimò ſibi perſuaſit, in Iulianæ gratiam, id à Deo factum eſſe, vt oſtenderet, quibus delitijs puriſsimam animam liberaliſsimè perfunderet, quæ admirabili ratione in res contactas dimanarent.

quæ admirabili modo in pomum deriuatur

§. 3.

§. 3. Sui alicuius neceſſarij mortem tam grauiter ferebat virgo quædam Deo conſecrata, vt acerrimo conficeretur dolore; nec vllum admitteret ſolatium. Cùmque longum tempus teneret hæc animi perturbatio, eò tandẽ deuenerat, vt grauiſsimum immineret phreneſis periculum. Vltimam medicinam expertura, Iulianam conuenit, animique vulnus detegit; ſi fortè eâ gratiâ, quâ apud Deum maximâ pollere credebat, leuamentum adferret. Iuliana virginem miſerata, iacentem eius animum erigere cœpit, oſtentatâ humanorum omnium inanitate: vnicum eſſe Deum ſpei ſolidæ firmamentum; in quo ſi res noſtras ſtabiliremus, non modò omnem animi ægritudinem abſtergendam; ſed feliciſsimum curſum totius vitæ futurum. Quæ, aliave ſimilia docuit eâ contentione, vt diſsipatâ doloris omnis tempeſtate, ſerenum reduceret virgini, de cuius ſalute iam eſſet conclamatum. Diſceſsit enim hilaris adeò, & erecta, vt palam aſſereret, nullum videri poſſe eſſe portentum admirabilius, quàm tantum turbinem, tam ſubitò diſsipatum.

Mirâ vi orationis virginem quandam ad æquitatem animi reducit.

Ca-

Digitized by Google

CAPVT XV.

Magnâ caritate, quâ in homines ardebat, multis opem è cælo efflagitat.

SI tantùm dicendi facultate poterat in hominum animos, qui ſuâ plerùmque peruerſitate, contra rectæ rationis, orationiſque ſtimulos nituntur: quid potuiſſe exiſtimabimus apud optimũ Deum, qui piorum hominum deſiderijs non poteſt non facere ſatis? Tantam certè in Deo Iuliana ſpem reponebat, vt poſtulati nullius repulſam formidaret, nullam pateretur. Nam vt alieni boni erat ſtudioſiſsima, grauiter admodum ferebat, ſi quempiã acciperet moleſtiori aliquâ animi, vel corporis ægritudine vexari. Quare pio miſerationis affectu, perſonam eius induta, omnes in ſe anguſtias, calamitateſque recipiebat, atque vt ſuas Deo offerebat. nullumque precibus ad Deum fundendis, aut corpori flagris affliĉtando modum faciebat, donec intelligeret prorſus expeditum, ſi eius ita rationibus conduceret; aut ſaltem aliquatenus ſubleuatum. Ita fiebat, vt ſponſæ ſuæ cariſſimæ cæleſtis ſponſus nihil denegare poſſe videretur.

Nullam à Deo fert repulſam.

Miſerãdo torpore Virginem quandam liberat:

§. 1. Miſerandus torpor, & neſcio quis veternus cõſecratam Deo virginem ita oppreſſerat,

preſſerat, & ab omni virtutum alienauerat exercitatione, vt nihil, alioqui leuiſsimum, Aetnâ grauius non iudicaret, adeòque ſibi grauis ipſa videretur. Quod vbi Iulianæ aperuiſſet; illa non ſecus atque ſi rem ſuam ageret, ſedulò, & enixè Deum tamdiu rogare non deſtitit, dum exoraſſe diuinitus intelligeret. Tum redire ad ſe iuſſam virginem, caritate quâdam maternâ edocuit, quo in poſterum ardore mentis vitam ageret religioſam, ſupremoque Numini debitam ſeruiret ſeruitutem. Verùm præterea cùm moleſto ſe dixiſſet affligi capitis dolore, quem catarrhus pertinax creaſſet; detractum capiti velum, ceu amicitiæ teſſeram virgini donat Iuliana, quo cùm caput obuoluiſſet, omni dolore ſic eſt liberata, vt nullo deinceps viſa ſit tentari.

item & dolore capitis.

§. 2. Clauſa illa S. Martini Eua, in magnas anguſtias animi coniecta, cùm multa pateretur, velut onus poſitura, vt ferè fit calamitatis enarratione, aut certè leuamen exſpectans, ſua omnia Iulianæ aperit. Illa quæ ſatis ſciret affuturum mox à Deo malis finem, ſpem ſuam hortata eſt in Deo reponeret, qui ſolus malis omnibus poſſet leuare, eſſetq; leuaturus. Fidem fecit euentus. Victus Iulianæ ſponſæ ſuæ precibus, non diu pòſt Deus omnem ab iſtis malis indulſit Euæ immunitatem. Ita ſolita eſt deinceps Eua profiteri.

Animi tranquillitatem Eua impetrat.

§. 3.

Aliam liberat horrendo oculi malo.

§. 3. Virgo item Deo ſacra magnis oculi doloribus cruciabatur, ex quo tuber nucis magnitudine, viſu horrendum excreuerat. Alterum iam annum, tertiumque dimidiatum tenebat hic morbus; cum victa mali diurnitate, magnitudineque, ad Iulianam, ceu remediorum vltimum venit. Illa ex ſolitâ ſuâ in miſeros pietate, ſignum S. Crucis oculo impreſsit affecto; virginique dedit amicitiæ nomine ſtrophiolum, quo lacrymas abſtergere ſolita erat, quas elicuerat inter rerum ſupernarum meditationem ſanctus ardor. Eam virginem domum reuerſam, poſtero manè dum incruento nouæ legis ſacrificio adeſſet, ſuas ad Deum preces fundentem leuis ſopor occupat: in quo videre ſibi viſa eſt venerandâ ſpecie hominem, ex altari miſſum ad ſe à Iulianâ, qui ſuauiter ægrum attrectans oculum, noxium illum omnino ſuſtulit tumoré. Euigilat illa deſubito; oculo manum admouet, & omne malum prorſus abactum comperit; inopinatâque geſtiens lætitia, quas poteſt, Deo gratias agit. Mirari, quæ aderant ſodales, ſubitam curationem; rem mirandam exclamare: & ſimul cum ijs, qui intellexerant infirmam, iam integram videbant, Diuinæ pietati gratias agere cœperunt.

§. 4. Neque domeſticis ſuis defuit Iuliana. E Cornelianis virginibus vna perículoſo affecta malo, cum per os nihil in ſto-

ſtomachum poſſet admittere; Angelico nihilominus pane refici peroptabat. Ceteræ virgines etſi ſatis intelligerent, nihil per naturæ vires, in ſtomachum poſſe tranſmitti; vt tamen id extremum ſorori indulgerent, auguſtiſsimum EVCHARISTIAE Sacramentum inferri curarunt, quod ſi non ſumere, ſaltem liceret intueri. Aberat interim Iuliana cum aliâ è ſodalibus, rei quæ gerebatur, ignara: ſubitòque ſignum ære campano dari ſolitum, cùm ad ægrotos defertur, audit; & ſimul in terram proſtrata ſuppliciter Deum rogat, eas ægrotæ vires ſuppeditet, quæ ad ſacroſanctam Hoſtiam ſatis eſſent ſumendam. Vix ita locutam audijt Deus, & annuit: quodque ſit admirabilius, auditam eſſe ſignificat. Nam mox ab oratione ſurgens, ad ſociam ſe conuertit, &: Bono Deo gratias, inquit, referamus; Ozila enim ſoror noſtra (id ægræ nomen fuit) ſacroſanctum Viaticum integrè ſumſit.

Alteri ſacrum Viaticum ſumendi facultatem petit à Deo:

exoraſſe ſe intelligit:

§. 5. Femina Deo ſacra, ſanctâ neceſsitudine Iulianæ coniuncta, importuniùs ab impuro ganeone frequentabatur. Triſte id erat Iulianæ, quippe cui nota ſatis eſſet nefarij hominis impudentia. Religioſæ item feminæ permoleſtum eſſe cœperat, ex quo ſacrilegos eius conatus deprehenderat. Sed pia eius monita reſpuebat ille, nec ab incœpto ſcelerato deſiſtebat. Donec aliquando tandem, cùm eòdem redijſſet, & neque

Digitized by Google

monitis perſuaderetur, nec flecteretur precibus, neque minis loco pelleretur: femina auxiliari manu aduocatâ, impudicitiam apertè exprobrat, domoque eijcit. Ille facto hoc ad iram, aut potiùs rabiem concitatus, purulentam omnem animi ſui ſaniem vomere cœpit in caſtiſsimã feminam; quamque ipſe ſectaretur impudicitiam, eidem affingere. Talia declamitando domum ſe referebat; cùm in publico vindex innocentiæ Deus hominem corripit, intelligendiq; facultate deſtitutum, ſolo affligit, vt ſemiexanimum neceſſe fuerit referri. Huius nuntius piam feminam grauiter affecit, quæ ſi non cauſam, occaſionem certè præbuiſſe videretur: ſed eò maximè, quòd anima certiſsimum in diſcrimẽ venire putaretur. Ad Iulianam igitur confugere ſtatuit; miſſoque nuntio, per omnia amicitiæ, caritatiſque iura rogat, & obteſtatur, vt à Deo vires, ac tempus animum expiandi, periclitanti efflagitet: nullam quietem ſibi olim eſſe poſſe, ſi vir ille miſerabilis tã infeliciter periret. Miſerta eſt cùm hominis iſtius, tum cariſsimæ ſodalis ſuæ Iuliana: & breui vtrique leuamen impetrauit. Etenim ſtatim homini plena intelligentiæ vis reſtituta eſt; ſed eo melior, quòd damnandam inſuper vitæ ſuæ conditionem agnoſceret, atque ad eam deteſtandam accenderet voluntatem, palamque ipſe ſe damnaret mendacij,

Turpis calumniator à Deo punitur grauiter:

ſed orante Iulianâ redit ad valetudinem, & ſaniora conſilia.

Digitized by Google

dacij, & profiteretur eſſe à veritate remotiſsima, quæcumque in eam feminam effutijſſet; cui de iniuriâ facturus eſſet ſatis, ſi vita ſuperaret. Deinde cùm factâ ad aures Sacerdotis ſacrâ peccatorum confeſsione expiaſſet animum,& perſanaſſet;non longo pòſt tempore, corporis etiam valetudini reſtitutus eſt. Sed vt hominum ſunt ingenia,qui aſſuetis non facilè explicantur;priſtinas conſuetudines repetere videbatur; cùm pia illa femina verita ne rurſum,vnde emerſerat,in flagitioſę vitæ barathrum immergeretur; Iulianæ opem iterum implorat; vt quam homini Deus mentis munditiem dederat, eandem in poſterum ex infinitâ ſuâ bonitate ſeruaret intaminatam. Vide Iulianæ ſemper paratam,& nunquam exhauſtam apud ſponſum ſuum autoritatem. Orat iterum: iterum auditur. Ecce homini iam ſanato adimuntur vires, quæ ferè ad peccandum faciunt; rerumque earum tollitur intelligentia, quæ ad ſalutem animæ curandam nihil conducerent.

relabenti in vitia peccandi vires adimuntur, eius item precibus.

§. 6. Sanctimonialem inferi diris modis vexabant, horrendaque ſiue corpori, ſiue animæ flagra infligebant: quorum immanem tyrannidem ſæpe fruſtra tentârat excutere. Sed cùm ad Iulianam veniſſet aliquando, graues deponere cœpit querelas de hoſtis ſui atrocitate, in quē nulla quies, aut fatigatio caderet, nullaúe miſeratio;

Graui dæmonis tyrannide ſanctimonialem expedit.

ſed continuis, acerbiſsimiſque infeſtaret tormẽtis. Quare ſi quâ valeret apud Deum gratiâ, pro ſe poſtulat interponi. Annuit Iuliana. ad Deum propitiandum ſupplex in terram proſternitur. Poſt pauca vix abſoluerat; cùm inde abitura virgo, quæ furias illas patiebatur, viſa eſt ſentire defluentem ex humeris ingentis magnitudinis, ponderiſque molam: ac deinde ab horrendis illis dæmonum inſultibus prorſus libera permanſit.

Quia iam de immundis illis genijs incidit ſermo, hic ſubiungam, quæ certo loco tribuere non poſſum.

CAPVT XVI.

Multa, & diu à dæmone patitur: verùm tuetur ſe vi magnâ; vinctumq; etiam flagris cædit.

QVo ſe arctiùs ſummo bono coniungebat Iuliana, perditoſque homines, aut ſanè periclitantes, ex orci faucibus ereptos, ſaluti ſtudioſiùs aſſerebat, hoc truculentiorem in ſe Dæmonum furorem concitabat. Nullum enim crudelitatis genus, nullum breuiſsimi temporis ſpatium prætermittebant, quo ſanctam virginem interturbare, & omnem adimere quietem non niterentur. Non noctu, non interdiu, non vigilantem, non dormientem permittebant immunem. Terribili modò ſpecie, lar-

Sine quiete à dæmone impugnatur:

laruâque ſe præbebant videndos vigilanti : modò poſt vigilias ſanctiſsimè, vt ſuprà demonſtrauimus, in multam noctem protractas, ſi leui ſomno ſuccumberet, hoſtis quaſi imparatam inuaſurus, vel ceruici quieſcentis puluinar ſubducebat, aut frequenti motu ſuccutiebat totum lectum. Sed euigilans ſubitò amazon fortiſsima, arripiebat, quibus vti ſolebat, arma, hoſtemq; trepidum in fugam vertebat. qui nihilominus deinde, vel alijs armis prælium inſtaurabat, vel fraude nouâ ſtruebat inſidias. Ita viciſsitudine permoleſtâ, fraudes excipiebat aperta vis; huic iterum illæ ſuccedebant, quò & continuis belli moleſtijs fatigata virgo, & hoſtis immanitate deterrita, proijceret arma, & ſuæ, aliorumque ſalutis ſtudium omne deponeret : aut certè pro inuidiâ ſuâ Iulianæ rectum colenti moleſtias crearet. Verùm quæ ex odij huius atrocitate ſatis intelligebat Numini gratum eſſe vitæ ſuæ inſtitutum, eodem firma gradu perſtabat fortiſsimè, omnibus intēta, ne quâ vi, vel fraude minimùm à recto abducta, vulneri locum præberet. Frequentiſsimus, quem hoſti obijceret, vmbo fuit orandi ſtudium, quo obiecta omnia inimici tela retundere ſolita eſt. Sed arma omnium potentiſsima fuere, Angelicus ille, & ſubcinericius Panis, Gedeonis ille gladius, qui è cæleſti deſcendens monte, Amalecitarum infe-

tuetur ſe oratione :

& maximè pane cæleſti.

inferorum tentoria ſubuertebat. Hæc Iulianæ fuit vis infracta, quâ ſine fatigatione vllâ, manus ſemper cum horrendo illo hoſte conſerebat. Ita totam ætatem ſuam, ab ipsâ ſtatim pueritiâ exercuit ſemper victrix. Donec tandem, ſupremo Imperatore ita decernente, fractum hoſtem, ac debellatum, ſub iugum mitteret. Ita factum Cornelianæ ſodales ſolitæ ſunt narrare. Ingentem aliquando audierunt ex eius cubiculo ſtrepitum, & contentionem Iulianæ aduerſus dæmonem, quem manibus comprehenſum, quantâ vi poterat, cædebat: in terram deinde proſtratum pedibus obterebat, lacerabatque ſarcaſmis: Hic locus te dignus eſt, nequiſsime. factum certè bonum: qui arrogantiâ non ferendâ clamabas: ſimilis ero Altiſsimo; ecce feminæ pedibus conculcaris, ignominiâ, flagriſque probè notatus. Ille omnis ſuperbiæ parens, cùm nec flagris cædi ſe, nec probris proſcindi ferre poſſet, fugam tentabat, ſed fruſtra. Donec tandem: Quid mihi fugam, inquit, impedis? quin rebus tuis proſpicis? En pro foribus cubiculi tui ſodales furtim, quod celatum cuperes, deprehenderunt. Dimittit ad hanc vocem Iuliana: cubiculoque reſerato, vbi ſe deprehenſam ſenſit, indoluit; ac pro ſuâ modeſtiâ erubuit. Ceterùm vti *militia eſt vita hominis ſuper terram*; atque intra teli iactum agimus, quamdiu vitam agimus

Proſtratum ſub pedibus cædit flagris:

ſed deprehenſa erubeſcit.

mus mortalem: ita iuratus ille humanæ gẽtis inimicus, quamdiu vita ſupereſt, nunquam odium, nec arma deponit. Sed cùm neque vires, nec inſidias aduerſus Iulianam videret procedere; alias inſtruxit copias, quibus virginem adoriretur; homines intelligo ſceleratos, certiſsimos tartari ſubſidiarios, & vicarios: à quibus ſuſcitatas tempeſtates turbulentiſsimas coacta eſt ſuſtinere. Ita docebimus, cùm res poſtulabit. *Dæmon alias vires parat.*

CAPVT XVII.

Eximio ſtudio mortuos iuuat: quorum ex hac vitâ tranſitum mirandis modis cognoſcit.

NOn viuentibus dumtaxat hominibus, ſi quid apud Deum poſſet, opem, ſolatiumque indulgebat: verùm piâ quâdam miſeratione, ferebatur in eos, qui actâ Chriſtianè vitâ, flammis piacularibus ad cæleſte regnum parantur. Quare quidquid gratiæ haberet in cælis, totum interponebat lubentiſsimè; tum maximè, vbi è neceſſarijs ſuis aliquem fato functum intelligebat. Intelligebat autem plerùmque modo prorſus admirabili: quem diſertè faſſa eſt ei virgini, cui pomum illud ſuaueolens dediſſe commemorauimus. Nam cùm eodẽ, quem diximus, die ſuauiſsimè colloquerentur; *Abſentiũ mortem non ignorat:*

CAPVT XV.

Magnâ caritate, quâ in homines ardebat, multis opem è cælo efflagitat.

SI tantùm dicendi facultate poterat in hominum animos, qui ſuâ plerùmque peruerſitate, contra rectæ rationis, orationiſque ſtimulos nituntur: quid potuiſſe exiſtimabimus apud optimũ Deum, qui piorum hominum deſiderijs non poteſt non facere ſatis? Tantam certè in Deo Iuliana ſpem reponebat, vt poſtulati nullius repulſam formidaret, nullam pateretur. Nam vt alieni boni erat ſtudioſiſsima, grauiter admodum ferebat, ſi quempiã acciperet moleſtiori aliquâ animi, vel corporis ægritudine vexari. Quare pio miſerationis affectu, perſonam eius induta, omnes in ſe anguſtias, calamitateſque recipiebat, atque vt ſuas Deo offerebat. nullumque precibus ad Deum fundendis, aut corpori flagris affligendo modum faciebat, donec intelligeret prorſus expeditum, ſi eius ita rationibus conduceret; aut ſaltem aliquatenus ſubleuatum. Ita fiebat, vt ſponſæ ſuæ cariſſimæ cæleſtis ſponſus nihil denegare poſſe videretur.

Nullam à Deo fert repulſam.

§. I. Miſerandus torpor, & neſcio quis veternus cõſecratam Deo virginem ita oppreſſerat,

Miſerãdo torpore Virginem quandam liberat:

preſſerat, & ab omni virtutum alienauerat exercitatione, vt nihil, alioqui leuiſsimum, Aetnâ grauius non iudicaret, adeòque ſibi grauis ipſa videretur. Quod vbi Iulianæ aperuiſſet; illa non ſecus atque ſi rem ſuam ageret, ſedulò, & enixè Deum tamdiu rogare non deſtitit, dum exoraſſe diuinitus intelligeret. Tum redire ad ſe iuſſam virginem, caritate quâdam maternâ edocuit, quo in poſterum ardore mentis vitam ageret religioſam, ſupremoque Numini debitam ſeruiret ſeruitutem. Verùm præterea cùm moleſto ſe dixiſſet affligi capitis dolore, quem catarrhus pertinax creaſſet; detractum capiti velum, ceu amicitiæ teſſeram virgini donat Iuliana, quo cùm caput obuoluiſſet, omni dolore ſic eſt liberata, vt nullo deinceps viſa ſit tentari. *item & dolore capitis.*

§. 2. Clauſa illa S. Martini Eua, in magnas anguſtias animi coniecta, cùm multa pateretur, velut onus poſitura, vt ferè fit calamitatis enarratione, aut certè leuamen exſpectans, ſua omnia Iulianæ aperit. Illa quæ ſatis ſciret affuturum mox à Deo malis finem, ſpem ſuam hortata eſt in Deo reponeret, qui ſolus malis omnibus poſſet leuare, eſſetq; leuaturus. Fidem fecit euentus. Victus Iulianæ ſponſæ ſuæ precibus, non diu pòſt Deus omnem ab iſtis malis indulſit Euæ immunitatem. Ita ſolita eſt deinceps Eua profiteri. *Animi tranquillitatem Eua impetrat.*

§. 3.

Aliam liberat horrendo oculi malo.

§. 3. Virgo item Deo ſacra magnis oculi doloribus cruciabatur, ex quo tuber nucis magnitudine, viſu horrendum excreuerat. Alterum iam annum, tertiumque dimidiatum tenebat hic morbus; cum victa mali diurnitate, magnitudineque, ad Iulianam, ceu remediorum vltimum venit. Illa ex ſolitâ ſuâ in miſeros pietate, ſignum S. Crucis oculo impreſsit affecto; virginique dedit amicitiæ nomine ſtrophiolum, quo lacrymas abſtergere ſolita erat, quas elicuerat inter rerum ſupernarum meditationem ſanctus ardor. Eam virginem domum reuerſam, poſtero manè dum incruento nouæ legis ſacrificio adeſſet, ſuas ad Deum preces fundentem leuis ſopor occupat: in quo videre ſibi viſa eſt venerandâ ſpecie hominem, ex altari miſſum ad ſe à Iulianâ, qui ſuauiter ægrum attrectans oculum, noxium illum omnino ſuſtulit tumorē. Euigilat illa deſubito; oculo manum admouet, & omne malum prorſus abactum comperit; inopinatâque geſtiens lætitiâ, quas poteſt, Deo gratias agit. Mirari, quæ aderant ſodales, ſubitam curationem; rem mirandam exclamare: & ſimul cum ijs, qui intellexerant infirmam, iam integram videbant, Diuinæ pietati gratias agere cœperunt.

§. 4. Neque domeſticis ſuis defuit Iuliana. E Cornelianis virginibus vna periculoſo affecta malo, cum per os nihil in ſto-

Digitized by Google

ſtomachum poſſet admittere; Angelico nihilominus pane refici peroptabat. Ceteræ virgines etſi ſatis intelligerent, nihil per naturæ vires, in ſtomachum poſſe tranſmitti; vt tamen id extremum ſorori indulgerent, auguſtiſsimum EVCHARISTIAE Sacramentum inferri curarunt, quod ſi non ſumere, ſaltem liceret intueri. Aberat interim Iuliana cum aliâ è ſodalibus, rei quæ gerebatur, ignara: ſubitòque ſignum ære campano dari ſolitum, cùm ad ægrotos defertur, audit; & ſimul in terram proſtrata ſuppliciter Deum rogat, eas ægrotæ vires ſuppeditet, quæ ad ſacroſanctam Hoſtiam ſatis eſſent ſumendam. Vix ita locutam audijt Deus, & annuit: quodque ſit admirabilius, auditam eſſe ſignificat. Nam mox ab oratione ſurgens, ad ſociam ſe conuertit, &: Bono Deo gratias, inquit, referamus; Ozila enim ſoror noſtra (id ægræ nomen fuit) ſacroſanctum Viaticum integrè ſumſit.

Alteri ſacrum Viaticum ſumendi facultatem petit à Deo:

exoraſſe ſe intelligit:

§. 5. Femina Deo ſacra, ſanctâ neceſsitudine Iulianæ coniuncta, importuniùs ab impuro ganeone frequentabatur. Triſte id erat Iulianæ, quippe cui nota ſatis eſſet nefarij hominis impudentia. Religioſæ item feminæ permoleſtum eſſe cœperat, ex quo ſacrilegos eius conatus deprehenderat. Sed pia eius monita reſpuebat ille, nec ab incœpto ſcelerato deſiſtebat. Donec aliquando tandem, cùm eòdem redijſſet, & neque

monitis perſuaderetur, nec flecteretur precibus, neque minis loco pelleretur: femina auxiliari manu aduocatâ, impudicitiam apertè exprobrat, domoque eijcit. Ille facto hoc ad iram, aut potiùs rabiem concitatus, purulentam omnem animi ſui ſaniem vomere cœpit in caſtiſsimã feminam; quamque ipſe ſectaretur impudicitiam, eidem affingere. Talia declamitando domum ſe referebat; cùm in publico vindex innocentiæ Deus hominem corripit, intelligendiq; facultate deſtitutum, ſolo affligit, vt ſemiexanimum neceſſe fuerit referri. Huius nuntius piam feminam grauiter affecit, quæ ſi non cauſam, occaſionem certè præbuiſſe videretur: ſed eò maximè, quòd anima certiſsimum in diſcrimẽ venire putaretur. Ad Iulianam igitur confugere ſtatuit; miſſoque nuntio, per omnia amicitiæ, caritatiſque iura rogat, & obteſtatur, vt à Deo vires, ac tempus animum expiandi, periclitanti efflagitet: nullam quietem ſibi olim eſſe poſſe, ſi vir ille miſerabilis tã infeliciter periret. Miſerta eſt cùm hominis iſtius, tum cariſsimæ ſodalis ſuæ Iuliana: & breui vtrique leuamen impetrauit. Etenim ſtatim homini plena intelligentiæ vis reſtituta eſt; ſed eo melior, quòd damnandam inſuper vitæ ſuæ conditionem agnoſceret, atque ad eam deteſtandam accenderet voluntatem, palamque ipſe ſe damnaret mendacij,

Turpis calumniator à Deo punitur grauiter:

ſed orante Iulianâ redit ad valetudinem, & ſaniora conſilia.

dacij, & profiteretur eſſe à veritate remotiſsima, quæcumque in eam feminam effutijſſet; cui de iniuriâ facturus eſſet ſatis, ſi vita ſuperaret. Deinde cùm factâ ad aures Sacerdotis ſacrâ peccatorum confeſsione expiaſſet animum, & perſanaſſet; non longo pòſt tempore, corporis etiam valetudini reſtitutus eſt. Sed vt hominum ſunt ingenia, qui aſſuetis non facilè explicantur; priſtinas conſuetudines repetere videbatur; cùm pia illa femina verita ne rurſum, vnde emerſerat, in flagitioſę vitæ barathrum immergeretur; Iulianæ opem iterum implorat; vt quam homini Deus mentis munditiem dederat, eandem in poſterum ex infinitâ ſuâ bonitate ſeruaret intaminatam. Vide Iulianæ ſemper paratam, & nunquam exhauſtam apud ſponſum ſuum autoritatem. Orat iterum: iterum auditur. Ecce homini iam ſanato adimuntur vires, quæ ferè ad peccandum faciunt; rerumque earum tollitur intelligentia, quæ ad ſalutem animæ curandam nihil conducerent.

relabenti in vitia peccandi vires adimuntur, eius item precibus.

§. 6. Sanctimonialem inferi diris modis vexabant, horrendaque ſiue corpori, ſiue animæ flagra infligebant: quorum immanem tyrannidem ſæpe fruſtra tentârat excutere. Sed cùm ad Iulianam veniſſet aliquando, graues deponere cœpit querelas de hoſtis ſui atrocitate, in quē nulla quies, aut fatigatio caderet, nullaúe miſeratio;

Graui dæmonis tyrannide ſanctimonialem expedit.

ſed continuis, acerbiſsimiſque infeſtaret tormẽtis. Quare ſi quâ valeret apud Deum gratiâ, pro ſe poſtulat interponi. Annuit Iuliana. ad Deum propitiandum ſupplex in terram proſternitur. Poſt pauca vix abſoluerat; cùm inde abitura virgo, quæ furias illas patiebatur, viſa eſt ſentire defluentem ex humeris ingentis magnitudinis, ponderiſque molam: ac deinde ab horrendis illis dæmonum inſultibus prorſus libera permanſit.

Quia iam de immundis illis genijs incidit ſermo, hic ſubiungam, quæ certo loco tribuere non poſſum.

CAPVT XVI.

Multa, & diu à dæmone patitur: verùm tuetur ſe vi magnâ; vinctumq; etiam flagris cædit.

QVo ſe arctiùs ſummo bono coniungebat Iuliana, perditoſque homines, aut ſanè periclitantes, ex orci faucibus ereptos, ſaluti ſtudioſiùs aſſerebat, hoc truculentiorem in ſe Dæmonum furorem concitabat. Nullum enim crudelitatis genus, nullum breuiſsimi temporis ſpatium prætermittebant, quo ſanctam virginem interturbare, & omnem adimere quietem non niterentur. Non noctu, non interdiu, non vigilantem, non dormientem permittebant immunem. Terribili modò ſpecie, lar-

Sine quiete à dæmone impugnatur:

laruâque ſe præbebant videndos vigilanti: modò poſt vigilias ſanctiſsimè, vt ſuprà demonſtrauimus, in multam noctem protractas, ſi leui ſomno ſuccumberet, hoſtis quaſi imparatam inuaſurus, vel ceruici quieſcentis puluinar ſubducebat, aut frequenti motu ſuccutiebat totum lectum. Sed euigilans ſubitò amazon fortiſsima, arripiebat, quibus vti ſolebat, arma, hoſtemq; trepidum in fugam vertebat. qui nihilominus deinde, vel alijs armis prælium inſtaurabat, vel fraude nouâ ſtruebat inſidias. Ita viciſsitudine permoleſtâ, fraudes excipiebat aperta vis; huic iterum illæ ſuccedebant, quò & continuis belli moleſtijs fatigata virgo, & hoſtis immanitate deterrita, proijceret arma, & ſuæ, aliorumque ſalutis ſtudium omne deponeret: aut certè pro inuidiâ ſuâ Iulianæ rectum colenti moleſtias crearet. Verùm quæ ex odij huius atrocitate ſatis intelligebat Numini gratum eſſe vitæ ſuæ inſtitutum, eodem firma gradu perſtabat fortiſsimè, omnibus intẽta, ne quâ vi, vel fraude minimùm à recto abducta, vulneri locum præberet. Frequentiſsimus, quem hoſti obijceret, vmbo fuit orandi ſtudium, quo obiecta omnia inimici tela retundere ſolita eſt. Sed arma omnium potentiſsima fuere, Angelicus ille, & ſubcinericius Panis, Gedeonis ille gladius, qui è cæleſti deſcendens monte, Amalecitarum

tuetur ſe oratione:

& maximè pane cæleſti.

 infe-

inferorum tentoria ſubuertebat. Hæc Iulianæ fuit vis infracta, quâ ſine fatigatione vllâ, manus ſemper cum horrendo illo hoſte conſerebat. Ita totam ætatem ſuam, ab ipsâ ſtatim pueritiâ exercuit ſemper victrix. Donec tandem, ſupremo Imperatore ita decernente, fractum hoſtem, ac debellatum, ſub iugum mitteret. Ita factum Cornelianæ ſodales ſolitæ ſunt narrare. Ingentem aliquando audierunt ex eius cubiculo ſtrepitum, & contentionem Iulianæ aduerſus dæmonem, quem manibus comprehenſum, quantâ vi poterat, cædebat: in terram deinde proſtratum pedibus obterebat, lacerabatque ſarcaſmis: Hic locus te dignus eſt, nequiſsime. factum certè bonum: qui arrogantiâ non ferendâ clamabas: ſimilis ero Altiſsimo; ecce feminæ pedibus conculcaris, ignominiâ, flagriſque probè notatus. Ille omnis ſuperbiæ parens, cùm nec flagris cædi ſe, nec probris proſcindi ferre poſſet, fugam tentabat, ſed fruſtra. Donec tandem: Quid mihi fugam, inquit, impedis? quin rebus tuis proſpicis? En pro foribus cubiculi tui ſodales furtim, quod celatum cuperes, deprehenderunt. Dimittit ad hanc vocem Iuliana: cubiculoque reſerato, vbi ſe deprehenſam ſenſit, indoluit; ac pro ſuâ modeſtiâ erubuit. Ceterùm vti *militia eſt vita hominis ſuper terram*; atque intra teli iactum agimus, quamdiu vitam agimus

Proſtratum ſub pedibus cædit flagris:

ſed deprehenſa erubeſcit.

mus mortalem: ita iuratus ille humanæ gẽtis inimicus, quamdiu vita ſupereſt, nunquam odium, nec arma deponit. Sed cùm neque vires, nec inſidias aduerſus Iulianam videret procedere; alias inſtruxit copias, quibus virginem adoriretur; homines intelligo ſceleratos, certiſsimos tartari ſubſidiarios, & vicarios: à quibus ſuſcitatas tempeſtates turbulentiſsimas coacta eſt ſuſtinere. Ita docebimus, cùm res poſtulabit.

Dæmon alias vires parat.

CAPVT XVII.

Eximio ſtudio mortuos iuuat: quorum ex hac vitâ tranſitum mirandis modis cognoſcit.

NOn viuentibus dumtaxat hominibus, ſi quid apud Deum poſſet, opem, ſolatiumque indulgebat: verùm piâ quâdam miſeratione, ferebatur in eos, qui actâ Chriſtianè vitâ, flammis piacularibus ad cæleſte regnum parantur. Quare quidquid gratiæ haberet in cælis, totum interponebat lubentiſsimè; tum maximè, vbi è neceſſarijs ſuis aliquem fato functum intelligebat. Intelligebat autem plerùmque modo prorſus admirabili: quem diſertè faſſa eſt ei virgini, cui pomum illud ſuaueolens dediſſe commemorauimus. Nam cùm eodẽ, quem diximus, die ſuauiſsimè colloquerentur;

Abſentiũ mortem non ignorat:

ſubitò: Cariſsima ſoror, inquit, iamiam Deum propitiemus familiari cuidam meo, qui hoc temporis puncto, vitâ defungitur. Extemplo quidem vtraque ſe conuertit ad preces; ſed alteram illam magna ſubijt admiratio, quo nuntio mors amici perueniſſet ad Iulianam. factiſque precibus, ex eâ quæſijt, quânam porro ratione, abſens abſentis mortem cognouiſſet. Quâ horâ meorum quiſpiam, ait Iuliana, è viuis abit, nouo quodam, & inſolenti dolore corripior, quem aliâ nunquam occaſione ſentire memini; tantuſque eſt, vt ſuſtineri vix poſſe videatur. id verò cùm poſteà nuntius aduenerit, collatis temporum momentis, ita euenire, longo iam vſu comperi. Certiores interdum etiam de re ſimili nuntios accipiebat. Animæ ipſæ corporis vinculo recenter ſolutæ ad eam ſæpe venerunt, & quod impendi poterat, ſubſidium implorarunt. Aliàs idem diuinitus accepit. Ita Deo nuntiante, cùm feminæ cuiuſdam ſibi familiariſsimæ mortem accepiſſet, quamprimum in animæ ſolatium, pio caritatis affectu, magnâque vi lacrymarum profusâ, officium in animarum ſalutem à Chriſtianis præſtari ſolitum perſoluit. Venit aliquanto pòſt tempore ad Iulianam defunctæ ſoror, mortem nuntiatura. Cui Iuliana: Iam antè mortem ſciui, inquit, & iuſta perſolui, certè ipſi profutura, ſi quidem ea eſſem,

edocta quandoque dolore inſolito:

aliàs ab ipſis animabus corpore abeuntibus.

Digitized by Google

eſſem, quæ debeo. Hæc dicta in memoriam ei reuocarunt, quæ ex ipsâ ſorore ſuâ audierat, cùm ſe Deo ita permittente præbuiſſet videndam, non diu poſt mortem; Iulianæ nimirum auxilio ſe mirum in modum eſſe ſubleuatam. Alia ſimilia ſuis locis occurrent dicenda.

CAPVT XVIII.

Abſentia reuelat, & prædicit futura.

IVlianam arcanorum Dei participem eſſe factam, ſparſim iam, vbi res tulit, commemorauimus. Quod certè arctiſsimi cum Diuinâ Majeſtate nexus, initæque amicitię validum eſſe negare non poſſumus argumentum: cùm ipſa Veritas æterna pronuntiârit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quare quæ ſuppetunt, aliquot ſubijciemus exempla, quibus vel abſentia cognouiſſe, vel futura conſtet.

§. 1. Erant Iulianæ procul à cœnobio non exigui momenti negotia; ad quæ procuranda, conficiendave, è clericorum ordine quendam ſibi familiarem delegauerat. Ad iter ille accingitur: ſed, vt hiems erat, hiberna ſæuiebat aura, nixque magnâ vi cælo demiſſa, breui terram obruit altitudine tantâ, vt ceu ingenti, candidove pe-

Digitized by Google

lago,nulla viarum indicia notarentur. Viâ igitur per ignorantiam exit; atque vt fit, in eas pedetentim delabitur anguſtias,vt pręcipitia vndique,& latentes lacunæ, meritò timeri poſſent,non facilè caueri. Amici diſcrimen ſubitò cognouit è cœnobio ſuo Iuliana;aduocatâque in ſocias preces auxiliari familiarium manu, ad Deum confugit, vt à Clerico diſcrimen auerteretur. Deum precibus annuiſſe mox intellexit; & pro vitato omni diſcrimine,gratias Deo referri præcepit. Redux porrò ipſe, cùm vitata, vt fit, pericula enumeraret, quæ tam præſentia fuiſſe teſtabatur, vt ſine ſingulari Numinis præſidio caueri non potuiſſe aſſereret: collatis temporibus manifeſtè compertum eſt; eodem puncto, quo periclitari cœperat, orationes in cœnobio eſſe indictas: gratiaſque deinde ſuperis redditas, ſtatim ac emerſiſſet.

Abſentis cuiuſdam periculũ cognoſcit: precibus propellit.

§. 2. Sacerdotem quempiam Iulianę arctâ neceſsitudine virtus coniunxerat: hunc; cùm audiſſet graui correptum ęgrotatione, ac propè depoſitum; adijt, ne amicitiæ defuiſſe videretur: atq; poſt pauxillum temporis ibi poſitum: Ad me, inquit, redeo; quod profectò nunquam facerem, niſi certiſsima mihi eſſet proxima valetudo tua. ſed quæſo interim, dum ſenſim à morbo vires reſtituuntur,nec facere potes; Angelico ſaltem Pane octauo quoque die reficitor.

Ægroto ſacerdoti valetudinem pollicetur.

tor. Mirum dictu! qui toto morbi tempore, alienus à mente, nullam intelligentiæ vim præferebat, has Iulianæ voces intellexit probè, & impleuit.

§. 3. Leodium inter & Cornelium mōtem dicatum eſt S. Remaclo templum. Hìc ſolitariam agebat vitam clauſa, magnâ virtutis opinione celeberrima Hauuidis, luculentior eo nomine pro Iulianâ teſtis. Affirmare ſolita eſt frequentiſsimè, ſe à Iulianâ ſutura edoctam: atque exempli causâ dicebat ſe accepiſſe, parenti ſuæ, ſororiúe futuram ſuperſtitem; parentem quidem primùm obituram, ſecuturam mox ſororem. Oraculi huius, ceterorumque veritatem comprobauit euentus. *Futura praeuidet.*

§. 4. Celebrabantur in orbe Chriſtiano ſub hæc tempora, expeditiones ſacræ in Palæſtinam. Quidam igitur militiam illam emeriti, atque ex Aſiâ reduces multis, validiſque argumentis ad eandem expeditionem impellebant è vicinis principibus aliquem. glorioſas enim, facileſque victorias oſtentabant velut in manibus, adeòque Diuini Numinis autoritate promittebant: ſanctam etiam columnam, cui ſeruator Chriſtus fuerat alligatus, item virgas, quibus cæſus, pluresúe aliuſcemodi reliquias è latebris eruendas eius operâ, cultuique debito, & venerationi reſtituendas affirmabant. Ibant in eorum verba Princeps, & *Sycophātarum dolo optimates quidam ad expeditionem ſacram permouentur.*

cum

cum Principe, è Iulianæ familiaribus quiſpiam. Sed hic tantam expeditionem non temerè ſuſcipiendam ratus, virginem noſtram, cuius ſanctitati ſignis clariſsimis ſibi compertæ plurimùm tribuebat, primùm omnium ſtatuit conſulendam. Illa verò liberè, conſtanterque diſſuadet, donec pignore certiori, & vade, Diuina illa promiſsio confirmaretur; aut certè pauci aliqui mitterentur, quid ibi reliquiarum lateret, certiùs exploraturi. Placuit hæc Iulianæ ſententia, ſuamque cum Principe ceteri expeditionis ſocij mutarunt. Qui miſsi erant, rebus exploratis cùm reueniſſent; enuntiarunt enormis adeò magnitudinis, ponderiſve columnam eſſe, vt per tot terrarum, mariſque ſpatia deuehi non poſſet. Virgarum tamẽ ſacrarum aliquid ſecum habere, quod detuliſſent. Iuliana cum aliquot è ſodalibus ſuis, fraudes, præſtigiaſque ſubeſſe ſenſit. Quare ementitas illas Chriſti Seruatoris virgas, omnique indignas veneratione pronuntiat. Princeps quæſtione factâ, comperit ſibi à ſycophantis impoſitum, qui & virgis profanis religionem affingere tentaſſent, & dolis principem cum ſuis trans mare pertrahere.

diſſuadet Iuliana;

& perſuadet:

fraudes detegit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Hominum animos intelligentiâ peruadit.

MEntis intimæ cogitata cuiuis perſpicua patere, cùm vniuerſæ hominum reipublicæ non ſatis conuenire videatur, occulta voluit eſſe ſupremus omnium gubernator Deus, niſi quis ore explicauerit. Quamobrem Angelicæ mentes tantâ intelligendi perſpicaciâ præditæ, vt nulla rerum conditarum claram earum aciem effugiat, animorum tamen occluſos ſibi ſentiunt receſſus. Quo certè mihi mirabilius fit, mortalibus quibuſdam, quos eximia commendarit virtus, Deum animorum penetralia reſerare. Hos inter adnumerandam eſſe Iulianam, ex ijs, quæ ſubijcientur, patebit.

§. 1. Ex pacto, quod ſuprà commemorauimus, aut fortaſſis inuitante amicâ ſollicitudine, ad Euæ caſam adierat Iuliana, magnâque eius caritate fuerat excepta. Verùm quando nihil vnquam, niſi Dei nomine aggrederetur, fortè tum Diuinis de rebus ſermones more ſuo familiariſſimè cum Euâ habebat, cùm eam amanter rogat, animum pandere ne dubitaret, at ſanctâ libertate expromeret, quidquid eo tegeretur. Tali perculſam interrogatione, & quid reſpon-

Intima Eua cogitata perſpicit.

reſponderet, hæſitantem, occupat rurſum Iuliana: Quid agis, ſoror mea? quid hæres? Mentem tuam mihi clauſam putas? Animi tui ſenſa nō obſcuriùs mihi propoſita ſcias, quàm ſi volæ manus inſcripta perlegerem. Et ſub hæc digitum per manum ductabat, non ſecùs atque, ſi aliquos pingeret characteres. Neúe hæc vana viderentur, eruere cœpit abdita, & apertè explicare, quæ pręter ſe vni crediderat Eua eſſe nota Deo, *qui corda & renes ſcrutatur.*

Eidem valetudinem prænuntiat corporis:

Aliàs item multis oppreſſa morbis, acutiſsimâ potiſsimùm febri conficiebatur, eòque deducta erat, vt eius valetudinis recuperandæ plerique ſpem abijcerent. Amicæ noluit deeſſe Iuliana; cùmque ad eam veniſſet, ſacrarium mox ingreſſa, Deo ſupplicauit. Inde ad virginem clauſam conuerſa, omnibus corporis afflictationibus mox expediendam, primæque reſtituendam ſanitati nuntiauit: ſed de ſtatu, & valetudine mentis, quæ tum erat, quamque deinceps futuram videbat, tam diſertè, clariſque verbis diſſeruit, vt tota hæreret Eua, obſtupeſceretque: ſed tum maximè, cùm labentibus deinde temporibus, rerum ſingularum euentus oraculo fidem adſtrueret.

ſed animi multo clariùs.

Vitioſorū hominum ferre non poteſt cōgreſſum.

§. 2. Euenit pręterea frequenter, vt eorū, quibuſcū colloquebatur, animos clariſsimè perſpiceret, agnoſceretúe quibus inficerentur peccatis. quòd ſi mortiferum crimen in aliquo

aliquo deprehenderet, eius collocutionem, aut etiam conſpectũ æquo animo ferre non poterat. Et quemadmodum quo maiore quis ſtudio modeſtiam amplectitur, eo vehementiùs elatos ſpiritus perſequitur: ita quâcumque demum occaſione ſuperbo cuipiam homini occurreret, tantam animi reluctantis contentionem experiebatur, vt nec adſtare, nec aſsidere facilè poſſet; ſed vel ſe verteret aliò, vel inde quàm citiſsimè proriperet; niſi fortaſſe iuſtam alicuius offenſionem hoc ſuo facto vereretur. tum enim ſubſiſtere coacta vim ſibi faciebat, & omnem à vitijs illum abducendi reſpectabat occaſionem, ſedulòq; inuadebat oblatam. Verùm tamen cùm periculum eſſet, ne dum occulta ſcelera retegeret, palam in ſe Dei beneuolentiam prædicaret; aut leuicula, & nullius fidei mulier habita, nihil proficeret, cùm nullo teſte, vel argumento alijs vitia videretur affingere: aut denique publicâ peccatorum exprobratione homines acriùs irritaret. ita facundâ influebat caritate, vt animorum quaſi domina, quiduis paulatim auderet, & poſſet. atque vt vetus fermentum (ita ſuperbiam appellare ſolita eſt) expurgarent, ſiue animis exterminarent, perſuadebat. Vel certè tacito cuiuſque nomine, vitij turpitudinem multis deteſtabatur, honeſtatem contrà virtutis plurimis commendabat. At ſi quoſ-

magnâ prudentiâ medelam adhibet.

quoſdam Euangelicâ modeſtiâ benè præditos intelligeret, quanquam ante ignotos, ſi tamen colloqueretur, incredibilem capiebat voluptatem, quòd in eorum animis Deum reſidere non dubitaret.

CAPVT XX.

Raptus in Diuina patitur.

PAlmam quidem, & triumphum omni merito noſtro maiorem cęleſtis agonotheta, legitimè certantibus, in cælis cumulatiſsimè parauit: in terris tamen etiã ſuam virtuti mercedem deeſſe non patitur; hominibuſque ſanctis in hac vitâ, quippiam è cæleſtibus delitijs prælibare permittit.

Sub recitationem horarum à ſe abripitur in Diuina.

§. 1. Feminam quandam vitæ ſanctimoniâ venerabilem adierat aliquando Iuliana: atque vnà cum eâ precum Canonicarum, quas horas appellant, penſum perſoluebat: ecce tibi, cùm hymni illo die perlegendi verſiculum extremum recitaſſet: *Præſta Pater per Filium, præſta per almum Spiritum*: ſubitò fixis in cælum oculis hæſit, neque verbum ſubiungere valuit, in claram auguſtiſsimę Trinitatis contemplationem diuinitus abrepta; quemadmodum ſæpe, quæ aderat, deinde teſtata eſt. Cæterùm non infrequens fuit huiuſcemodi noſtræ virginis in Diuina raptus: quem his gradibus factum ferunt. Puro mentis oculo ſibi vide-

Quibus gradibus ad contẽplandam Dei naturam conſcenderet.

batur

batur ſupernæ Hieroſolymæ gloriam, & felicitatem videre, atque etiam inaudito quodam modo præſentire. Singulos hìc beatarum mentium ordines, ac velut habitationes perluſtrabat, iucundâ, & admirabili pro ſingulorum meritis varietate diſtinctas. Itàque ab infimis ad ſupremos gradum faciens, abditum illud, & ter admirabile ſanctiſsimæ TRINITATIS penetrale peruadens, confirmato ope Diuinâ fidei lumine, auguſtiſsima illa arcana luſtrabat, intelligebatq; indiuiduam illam æterni Numinis TRINITATEM, VNITATEMQVE per omnia vbiq; diffuſam, rebus omnibus conditis ſui copiam facere, quampiamúe adeo ſimilitudinem imprimere; ſed ijs potiſsimùm mentibus, quas cælo donauit. In hac earum beatitate mirabatur, quibus infinitatis ſuæ vlnis eas Deus amplecteretur, intimèque peruaderet: quâúe ratione ipſæ in immenſo illo æternæ ſuauitatis oceano veluti pernatarent. Hinc ad ſe, terramque noſtram delapſa ſtupebat, ſibique, & mortalibus omnibus gratulabatur de ſummo eodem bono per ſacroſanctam EVCHARISTIAM mirandum in modum nobis indulto: ſimulque nouo perfuſa lumine, clariſsimè perſpiciebat, quem ab hominibus cultum, quamúe admirationem mereatur ſacratiſsimum illud myſteriũ, propter ſtupenda ſupremæ majeſtatis, potentiæ, ſa-

ſpectus, iſthac ingreſſura, niſi Eua occurriſſet, & potiùs ad ornandam ſtudioſiùs aram ſacrarij ſui fuiſſet hortata. Parituram ſe recepit. Sed ecce videt in tabulâ pictâ Chriſti patientis imaginem, qualem Veronicæ velo impreſsiſſe perhibetur: & derepente tam acri corripitur dolore, vt in terram exanimi haud multum abſimilis corruat. Eua collapſam leuat, rurſumque in lectum refert, ad animi æquitatem hortata, quòd omni dolore pulſo, æternis iam in cælo Chriſtus delitijs afflueret. At illa; Eſto, inquit, abierit iam omnis dolor, at nunquid reuera horrendos cruciatus pertulit. Paruâ deinde morâ temporis elapsâ, cùm proximo feſto ſolemne ſignum campanâ principe daretur, per feneſtram proximam, oculos in cælum, ſed mentem multo certiùs tollit, & affigit ita, vt corpus omnino deſeruiſſe videri poſſet; niſi ſqualida antè, pallenſque facies, iam inſtar lilij candida, & roſeis vernans genis pulchrior videretur; vt cryſtallus puriſsima rutilabant oculi, cælo conſtanter affixi; quos tandem clauſit, corpore prorſus immobili. Tum audita eſt ab Euâ, quæ ſollicita adſtabat, cum Apoſtolorum Principibus Petro, & Paulo multis loqui, donec tandem poſt longum tempus reſeratis oculis, Euam iuxta ſe conſpicata, obſtupuit, & Eamus, eamus, exclamat. Quo? ſubdit Eua: Tum Iuliana: Romam ad Apoſtolos.

item ex conſpectu Chriſti patientis.

Cum SS. Petro & Paulo colloquitur.

ea pari pro merito dolore non expiaret. Et certè vir quidam clarus, cùm ad eam veniſſet aliquando, rogauit vt de re aliquâ Diuinâ, cuius ſcientiâ Deus illam donaſſet, diſſereret. Erubuit hac poſtulatione Iuliana, & pro ſuâ modeſtiâ, eiuſmodi ſe rerum admodum imperitam eſſe, ſed multorum potiùs ream criminum demiſsè confeſſa eſt. Quid tu mihi, inquit ille, de criminibus? quænam tu potueris admittere, quam omnes pręcipuâ quâdam animi puritate inſignem miramur? Et cùm multis interrogationibus varia enumeraſſet peccata: Reſpondit Iuliana: Ego verò horum omnium ream eſſe me, iure quàm meritiſsimo profiteri poſſum. Ille cæleſtis Sapientiæ parum peritus abijt, fremens, & indignans ſe eluſum. Nec minùs ægrè Cornelianæ ſodales hoc factum tulerunt, verbiſque aſperioribus quæſierunt ex eâ, quo tandem animo hanc de ſe ſuſtinuiſſet ſententiam pronuntiare. Illa: Hæc à me veriſsimè dicta eſſe, credatis velim: nec enim tanto dolore deploro, aut expiare conor peccata quotidie à toto hominum genere in Dei mei contumeliam perpetrata, quanto ſanè poſſum, & debeo, ſi qua viuit in me ſacratioris amoris ſcintilla. Heu quàm diſsimiles ſanctiſsimæ virgini viuimus: qui tot, tantiſque peccatis, in noſtrum itidem Deum beneficentiſsimum, vbiq; terrarum, & quolibet temporis

Quo pacto omniũ ſe peccatorum reã cenſeret.

Monitum

poris momento admiſsis, non modò non mouemur: ſed quæ quotidie deſignamus ipſi nos, & perpetramus, vnâ lacrymulâ vix poſſumus expiare.

Huc vſque certas in claſſes cõiecta ſunt, quæ ſuis temporibus reddere, nec etiam per coniecturam licuit. Quæ ſequuntur, vti maiora ſunt, ita quodam temporis ordine, quo ferè geſta ſunt, ſubnectam.

CAPVT XXII.

Cœnobio præficitur, & magnâ laude munus implet.

IVlianę primam adoleſcentiam, ſuprà demonſtrauimus ſtudio; & induſtriâ Sapientiæ, feminæ ſanctimoniâ ſpectandæ, ad omnem fuiſſe virtutem efformatam. Hæc vbi aliquot annis, magnâ laude cœnobio
27. præfuiſſet, * ad ſupernam laborum mercedem euocata, magnum in terris ſui deſiderium reliquit. Cuius locum, ſedulamque curam quæ impleat, dum quæritur, cùm à ſodalibus omnibus, tum ab ijs, in quos Religioſa totius aſceterij adminiſtratio incumbit; prima inter omnes occurrit, potiſſimaque Iuliana, quæ à primis annis probè diſciplinam domeſticam edocta, virtutibuſque omnibus, ſingulari quodam modo prædita, ad ceteras inſtituendas, regendaſque

que idonea maximè videretur. Prætuliſſet ipſa ſecum, & Deo viuere; ſi ſuâ potiùs, quàm aliorum ſententiâ duci voluiſſet. Sed ne ſingularem aliquam animi demiſsionem affectare videretur, concordibus omnium ſuffragijs ſtandùm eſſe decreuit. Nec præeſſe priùs ſtatuit, aut cœpit, quàm prodeſſe. Labores enim, ſollicitudines, vigilias, pro munere ſuſcepto fortiter ſuſtinuit: honores verò, dominationem, commoda, non æquè admiſit. Imperauit nihil, quod non ipſa prior exequeretur; non ignara nunquam meliùs, quàm ipſis moribus imperari. Ità fiebat vt dominantis partes in illâ nemò notaret; ſed ancillæ humilitatem, ſollicitudinem nutricis, matris amorem agnoſcerent omnes, & amarent. Quare vt parentem ſuam, ceteræ, quæ aliquod ingenuitatis, virtutiſque ſemen animo retinerent, ceu amantiſsimæ filiæ colebant. Si quas enim mente anguſtias, ſi quas corpore paterentur afflictationes, ad matrem vti præſidium certiſsimum recurrebant; opemque frequentiſsimè referebāt exſpectatione potiorem. Verbis eius bonitas Diuina pondus aliquod, vimque præcipuam indidiſſe videbatur. admirabili facilitate recreabat afflictas, puſillanimes erigebat, inſtituebat tyrones; nutantes confirmabat, conſtantibus gratulabatur, dirigebat progredientes, currentes incitabat.. Omnis ſermo ſeu pu-

Subditis prælucet exemplo:

& verbo

blicus, ſeu priuatus, de vitiorum turpitudine, honeſtateque morum, de monaſticæ diſciplinæ excellentiâ. Ad mutuam præſertim caritatem, amicitiamque Chriſtianam exhortabatur, quam ſciret omnis humanæ ſocietatis, ſed cœnobiticæ præſertim neceſſarium vinculum, decuſque præſtantiſsimum. quapropter vbi labantem deprehenderat, omni induſtriâ, contentioneque confirmabat: probabat verò ſummopere, etiamq; nexu arctiore ſolidabat, ſicubi ſinceram animaduertiſſet. Sed curæ, cordique non minus erat virgini caſtiſsimæ, ſorores ſuas omnes, integrâ mentis, corporiſq; puritate, *virgines caſtas exhibere Chriſto.* Ea nimirum eſt cuiuſque virtutis indoles, ſed in primis pudicitiæ, vt aduerſantis vitij turpitudinem ferre non poſsit. Quę igitur nęui nihil vnquam mente, nedum corpore ſuſtinuiſſet; ac deinde primam ſexus iſtius, ſed in Religioſâ maximè familiâ, laudem in puritate ponendam intelligebat; integritatem ab omnibus ſummam exigebat, tuebaturúe quàm poterat vigilantiſsimè. Quare quibus terra contemptui, amori cælum erat; eæ ducem non exemplo minùs, quàm adhortatione præeuntem ſecutæ, mirum quàm feliciter ad meliora gradeſentur.

Caritatē præcipuè commendat:

item puritatem.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Peruerſa dum corrigit, multa patitur.

HEu rerum humanarum conditionem! Nullus aër adeò purus, quem non aliquæ præteruolitent atomi. Bonis ſemper aliqui permiſcentur deteriores, qui odioſâ rectè factorum luce perſtringantur; quoſue tenebris educere ſi tentes, non aliter repugnent, quàm ſi iniuriam patiantur. Egregiâ profectò curâ, ſodales ſibi creditas excoluerat Sapientia, quoad vixit: ſed oris duri aliquæ, monaſticarumque legum impatientes videbantur ad exercendam Iulianę fortitudinem, & induſtriam relictæ. Neque iam leuibus erratis diſciplinæ ſplendorem obſcurabant; at ſubruebant cetera caſtitate conuulsâ: quam certè liberiori cum viris congreſsione, ſi non polluebant, at grauiſsimum in diſcrimen adducebant. Nec ferre potuit Iuliana, neque diſsimulandum exiſtimauit. Itaq; officij primùm commonefacere, prædicare pudicitiæ honeſtatem, ſanctas cum Deo, aut de Deo ſermocinationes præferre cœpit omnibus humanis neceſsitudinibus, hominumque fabulis inanibus. Verùm blandæ huiuſcemodi virginis adhortationes ſurdis accidebant. Altiùs enim demergunt animos, obruuntque in-

Puritatē propugnat;

blandiore primùm oratione.

mox etiã, quia ita opus, acriore.

temperantiæ feces, quàm vt ſuauitate verborum, & rationis emergant: neque honeſti bonus odor in voluptatum cœno facilè percipitur. Acriùs igitur intonandum cenſuit, acutioreſque ſtimulos admouendos: Pudenda eſſe ſexui, ſtatui deteſtanda, & ſacrilega, quæ quotidie deſignarent. ſi nihil aliud, at vindicem ſupremi iudicis manum formidarent, quæ quo tardiùs, hoc incumbit grauiùs in ſcelera. His tamen ſubinde, pietatis maternæ nunquam oblita, hortatrices blanditias inſerebat, quibus ad officium reuocarentur. Neque ore tenus earum ſaluti ſtudebat. Dies, noctesque ſollicitè noui lapſus occaſiones omnes intercidebat, abrumpebatque congreſſus; communi ſodales omnes in vnum familiaritate iungebat; domo viros arcebat. In multam noctem curæ protrahebantur, ne tenebrarum fraudes eius officerent ſollicitudini: nec ad quietem ſe facilè priùs recipiebat, quàm omnia tuta comperiſſet. Inuigilabat & ſuis partibus dæmon, ne parata iam præda caſſes euaderet: atque, ſeu vt immoderato labore Iulianam frangeret, ſeu vt eius eluderet vigilias, nonnihil aliquando dormitantem importunè ſuſcitabat; nuntiabatque elapſas fugâ ſodales, cœnobij ambitu exijſſe. Mendaciorum autorem, & principem eſſe dæmonem ſatis ſciebat Iuliana; ſed caritas eius nullis vnquam exhauſta laboribus,

In omnes occaſiones inuigilat:

dæmone fruſtra illudere tentante.

bus, quieſcere non patiebatur, dum veritatem exploraſſet. & cùm ferè altum vbique ſilentium, tutaque omnia magno ſuo ſolatio deprehenderet: viſa tamen eſt aliquando Diuina bonitas indefeſſam vigilantiſsimæ præſidis caritatem compenſare; cùm dæmon ei illuſurus, vt quidem rebatur, quod reuera erat, nuntiaret: patentibus enim portis; aliquas abijſſe quandoque deprehendit. Sed neque omnibus proderat, neque placebat tanta illa Iulianæ ſollicitudo. Vulnus enim alioqui iam altè inflictum, fœdâque inueteratæ conſuetudinis ſanie corruptum, pleriſque tamen leuius videbatur, quàm vt eius curatione, quanquam alioqui ſuauiſsimâ indigeret. Quamobrem prouidâ Iulianæ ſagacitate deprehendi, vel medicâ contrectari manu grauiſsimum accidebat. His ſeſe iungebant, virine? an lenones? quorum conſuetudine capiebantur: quibuſcum quia communis erat fœditas, iniuriam, vt ſceleratè interpretabantur ipſi, communem eſſe dicebant, ideoque iunctis ſtudijs vindicandam. Quapropter non parùm eleuandam arguentis autoritatem, ſeſeque purgandos probè rati, ſi culpæ alicuius ream ſuis accuſationibus plures obruerent: res eius omnes explorare, actioneſque ſingulas exorſi, nihil in arcano, publicoue, domi nihil, nihil foris, quod in ſanctiſsima virgine carperét (ea fuit eius integritas) inqui-

Medentis manum ægri non ſuſtinent:

conſpirāt:

nullum iuſtæ accuſationis argumentum inueniunt.

quiſitione longâ, diligentique inuenire potuerunt. Sed vbi maledicentiæ veritas deeſt, mendacium arma miniſtrat. Fingunt igitur impiè, quo Iulianæ nomen in vulgus proſcindant, famamque lacerent, vt vel ſic ab inſtituto deterreant. Verùm ſupra vanos populi rumores inconcuſſa ſtat animi magnitudo: cui fulciendæ Numinis prouidentia ſuſcitârat virũ vitæ integritate ſpectabilem: Godefridus dicebatur, totique cœnobio Prior, vt tum loquebantur, præſidebat. Hunc quoad vita tenuit, fruſtra in Iulianam intumuerunt procellæ. Sed mox vbi obierit, denuò turbas omnes impietas inſtaurabit; vireſque non modicas ſumet, iunctis auxiliaribus eorum copijs, qui feſtum CORPORIS CHRISTI ſanciendum oppugnabunt. Ad eam modò narrationem conuertimur, quò nos vocat rerum ſeries.

CAPVT XXIV.

Diuinâ tandem iuſſione adigitur ad initium feſto nouo dandum.

Deprecatur munus Feſtũ nouũ promouendi:

AB ætate primâ diximus admirabili portento Iulianę ſignificatũ eſſe diuinitus, ad integrũ Eccleſiæ militantis ſplendorem, feſtum deeſſe, quo ſingularem cultum Chriſtianus orbis primæ VEN. SACRAMENTI origini deferret. Modeſtiſſimæ

ſimæ virgini grauius nihil incumbebat, quàm cùm altiſsimum ſilentium, tenebraſque altiſsimas maximopere ſectaretur, in tantam ſe lucem dare. Meas mihi latebras permitte, ô Deus; (inquiebat, quoties ad orandum ſe conuerteret) remque tantam, & tam grauem viris autoritate, eruditione, prudentiâ pollentibus cõmitte propagandam: eos habes in Eccleſiâ tuâ plurimos, atque maximis rebus pertractandis, adeòq; conficiendis aptiſsimos. Ego verò humanis omnibus deſtituta viribus, quid primùm, quid deinde agam? quid tentem? quid moliar? O Domine, in denſiſsimis, quibus digna ſum, tenebris deliteſco, & vndiq; prorſus inuoluor; & quomodo tantam rem in lucem claram proferre contendam? Perſtabat nihilominus poſt plurium annorũ tergiuerſationes Diuinæ voluntatis decretum, quo ſtatuebatur id ab ipſâ primùm orbi proponendum eſſe, quod ab alijs deinde illuſtri virtute, ſed modeſtiâ potiſsimùm Euangelicâ conſpicuis, ad finem perduceretur. Neque tamen ipſa de ſe aliter, quàm abiectiſsimè poterat ſentire; firmamq; eſſe, aut ratam ſupernæ prouidentiæ voluntatem non ſatis ſibi perſuadebat, vt feſto tam nobili ipſa potiſsimùm initium daret. Quare precibus inſiſtebat in dies ardentiùs, quo apud Deum euinceret, vt hæc alteri cura demandaretur. Fruſtra: nam aliquando fruſtra. vocem

vocē huiuſmodi cælo delapſam inter preces audijt: *Confiteor tibi, Pater cæli, & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.* Cùm hiſce necdum permoueretur, iterum admonita de cælo eſt: *Immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro. Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi: non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo.* Quibus tandem cùm certa Dei voluntas, & aperta iuſsio videretur denuntiata; poſt detrectatam hancce prouinciam annis plus vicenis, poſt ardentiſsimas preces, poſt creberrima ſuſpiria, poſt lacrymas tam copioſè profuſas, vt exhauſti iam oculi, puro ſanguine quandoque manarent (rem mirandā, neq; leuiter ſine probato teſte admittendā!) pariturā ſe recepit.

Iterato mandato, tandem post 20. annos cogitur.

In mentem fortaſſe veniat hìc alicui dubitare, quâ mente virgo tantâ ſanctitate prędita, ſupremi Numinis decreto, ſeſe tot annos potuerit obijcere; atque admiſeritne aliquod piaculum tergiuerſatione tam diuturnâ. Cui dubitationi vt fiat ſatis, ita rem paucis aggredior. Si Diuinum imperium detrectauit tot annos Iuliana; vel detrectauit latendi deſiderio, fugâue gloriæ, quam neceſſariò conſecutura videbatur, ſi proferre cogeretur in vulgus ſuam illam cum ſupremā maieſtate familiaritatem arctiſsimam, tantiq; arcani participationem. vel

Peccauitne tam longâ tergiuerſatione?

vel certè rei ad exitum perducendæ diffi-cultate deterrita; quam ſanè eſt experta longè grauiſsimam. Atque ita diſputatio tota, Iulianæ cum Moſe communis eſt; de quo item ſcriptores diſputant in partem vtramque: Rectène egerit, an perperam, cùm Deo mittenti ad eximendos Aegyptię ſeruituti populares ſuos, iteratis tergiuerſationibus, tardiùs obtemperauit. Quòd ſi poſteriorem partem eligimus, neutrū peccato facilè quiſquam exſoluerit. nec enim ærumnarum quantumuis grauium metu, à Dei voluntate diſtrahi fas eſt. Si prior magis placet; anceps eſt quæſtio, ſuoſq; habet vtraq; pars propugnatores ſanè graues. Pererius in benigniorem ſentētiam ſecū producit Gregorium, Baſilium, Hieronymum, qui præclaris encomijs eiuſcemodi modeſtiam, ac ſui demiſsionem deprædicant. At Cornelius in 4. Exodi v. 13. cū Caietano, & Abulenſi, item Salianus anno mūdi 2543. n. 63. & ſeq. cum Auguſt. Lyrano, Dionyſio, peccatū eſſe opinantur ex puſillanimitate, & inobedientiâ. In quorum ſententiā, magis equidem propendeo; quandoquidē humilitas, & obedientia, quæ ſorores germanæ ſunt, ſecum nequaquam pugnent, neque inuicem excludant ſe; at vicarias, adiutriceſque ſibi manus præbeant. Vtriuſq; partis firmamenta expendere qui volet, ex ijs, quæ notauimus, petat. ab inſtituto meo alienior

Sanè videtur, ſi rem faciendam Deus præceperat:

lienior eſſet eiuſmodi diſputatio. Verùm tamen omni peccato Iulianam eximere poſſumus, ſi alteram teneamus viam, quæ nihil cum Moſe habeat commune. Faciamus enim (quid verò vetat?) totos illos viginti annos, quibus pro humilitate Iuliana certauit, nihil fuiſſe à Deo præceptum; ſed inter ſuaues illas noſtræ virginis cum Deo ſermocinationes, ſignificatum dumtaxat eſſe, auguſtum illud feſtum Iulianâ auſpice ſanciendum olim in Eccleſiâ; ipſamq; eximium iſtius legationis honorem ſuppliciter deprecatam. quid hìc piaculo affine cenſeas? nec enim præcepti violatio poteſt eſſe, vbi nullum eſt præceptum. Hæc ſatis ſint ei, cui iſta dubitatio fuiſſet ſuborta. Etſi enim Cælitum gloriæ nihil decedat, ſi cùm inter mortales olim agerent, peccaſſe conuincantur: neque verò quidquam etiam accedat, ſi ab aliquo piaculo vendicentur, cùm ſuis ſanctiſsimi quique næuis fuerint inſperſi: rectiùs tamen, vtiliùſve de virtutum præſtantiâ, Sanctorumque imitatione diſputatio inſtituitur, vel narratio. Ad hanc reuertamur.

Secus, ſi propoſuerat tantùm.

CA-

CAPVT XXV.

Rem totam, vt ſe habebat, Eua aperit, prima inter mortales: orituraſq; prædicit procellas.

ACcepto tandem Diuino Senatus-conſulto, cui tergiuerſari nefas eſſe intelligeret Iuliana; cùm ſeriò ſecum aliquando volueret animo, quâ demum ratione perfungeretur adeò graui legatione; ad clauſam Martinianam adit. Cui profectò nequaquam difficile fuit, mentis inſolentiam ex vultu coniectare: & pro mutuâ neceſſitudine rogare inſtitit, ne diſſimularet; ſibi certum eſſe anxietate quâdam extraordinariâ animum percelli: fidæ ſodali liberè aperiret: ſe paratam aſſeuerat, ægritudinem in ſe recipere totam, ſi modò fas ſit, quò illa expediatur. Ad quæ Iuliana: Diu eſt, Eua mea, ex quo graue mihi onus imponi ſentio; anniſq; iam plurimis excutere molita, nihil profeci. Mortalium neminem huius adhuc conſcium feci. Sed quandoquidem prodire debeat in publicum, tu prima rem totam accipe. Annos abhinc iam totos viginti, miranda quædam lunaris globi multâ luce conſpicui ſpecies oranti mihi ſæpenumero oblata eſt, & magnam in me ſui admirationem excitauit: nam, vt ſi fracta fuiſſet, quaſi tenebroſa quædam *Eua viſum ſuum aperit.*

per totam diametrum linea porrigebatur. Exhorrui primùm ceu tartarei ſerpentis verſutias, & totum animum auertere contendi. Verùm cùm id non procederet, venit in mentem quærere, num quid è cælo fortaſsis hoc viſo portenderetur. Poſt Numen multis precibus propitiatum; accepi tandem è cælo, ſplendidū illum lunæ globum, ipſam eſſe ſponſam Chriſti militantem Eccleſiam; magno quidem illam ſplendore, ſed nō omni ex parte illuſtrem: quippe cui ad vltimum nitorem, nobiliſsimum deeſſet feſtum, quo primam ſacroſanctæ EVCHARISTIAE originem recoleret Reſp. Chriſtiana. Porrò ante rerum omnium exordium, in arcano auguſtiſsimi ſui Senatus penetrali ſtatuiſſe ſanctiſsimam TRINITATEM hoc myſterium, ſub hæc tempora proponere mortalibus; atque ad id me viliſsimum mancipium delegare. Hocce munus meâ cōditione omnino prȩſtantius, omnibus viribus enixa ſum adhuc amoliri: ſed tandem imperium addidit æternum Numen. Et verò parere animus eſt, etſi grauiſsimæ obijciant ſe difficultates: quas tamen facilè ſuſtinebit, immo diſcutiet ardens ille in ſanctiſsimū hoc SACRAMENTVM amor, quem mihi indidit idem Deus. Obſtupuit Eua narratione tam nouâ & admirabili: vtque rem totam penitiùs intelligeret, ſtudioſè Iulianam rogat, vt

ſibi

ſibi à Deo eundem animi ſenſum in Ven: EVCHARISTIAM, quem experiretur ipſa, infundi impetraret. Abnuit Iuliana, quòd ei propter valetudinis infirmitatem, conducere non exiſtimaret; aſſereretque infractas omnino ſibi vires, dum vehementiore myſterij huius admirandi contemplatione, Diuina pateretur: Macte nihilominus animo, Eua mea; tibi, alijſque amicis ſuis æterna Bonitas vberem, pro captu veſtro, cæleſtis dulcedinis menſuram largietur. Veritatem comprobauit euentus. Tantum enim ſinceræ ſibi religionis affectum, ardenſq; feſti noui deſiderium inijci ſenſit, vt omnis eius dilatio moleſtiam incredibilem crearet; vereretur que ne longiore morâ tota res in nihilum abiret; quâ de re ſuum apud Iulianam aliquando timorem reticere non potuit. Sed pone vanum timorem, inquit ipſa; felicem exitum, magno bonorum omnium emolumento, per homines ſanctiſsimâ ſui demiſſione præditos, res tota conſequetur: neque vereare turbulentas inferorum tempeſtates, quæ ſanè exorientur ingentes; ſed à Superis ſtabit victoria. Ita Iuliana. Quibus profectò manifeſtum eſt, Diuinorum arcanorum conſciam, negotij totius euentum præſciuiſſe.

Aduerſum exitum timentem vaticinio cōfirmat.

CAPVT XXVI.

Tanti negotij participem inſuper adſciſcit Iſabellam: quæ & diuinitus idem edocetur.

EA tẽpeſtate vitæ ſanctimoniâ celebrabatur religioſa quædam femina Hoienſis, Iſabella nomine; quæ ad ſublimem virtutis gradum euecta fuerat, regiâ inſiſtens viâ ſanctæ Crucis; ſiue multos perpeſſa animo generoſo labores, miſerias, ærumnas, calamitates, acerrimaſque, & ſponte ſuſceptas corporis caſtigationes, germanam ſe Chriſti Domini ſequacem probauerat. Etenim infractâ in primis ad patiendum fortitudine, ſui demiſsione altiſsimâ, ardentiſsimâ caritate prædita erat. Ea denique videbatur, quæ Iulianæ propoſito, aptiſsimè ſubſeruire poſſet. Cùm enim Deo tandem Iuliana parendum cenſeret, in alium quempiam facti decus, ſin minùs, ſaltem curarum partem, quâ ratione deriuaret, circumſpiciebat. Eos quippe ſentiebat igniculos amoris menti ſubiectos, qui deſiderium feſti huius decernendi ardẽtiſsimum ſuccendebant; vt diſrumpendum videretur pectus, niſi familiari ſermone, quaſdam ſubinde ſcintillas emicare permitteret. At verò, quò huiuſcemodi curas, deſideria, ſan-

ſanctoſque ardores aperire poſſet Iſabellæ, ac tutò credere; deſiderabatur id vnicum, vt habitatione iungerentur. Effecit ergo Iuliana, vt in Cornelianam familiam reciperetur. Nec exſpectatione falſa eſt. Longo, familiarique ſermone, deprehendit in illâ clariſsimam rerum ſpiritalium, Diuinarumque cognitionem, ſenſumque admirabilem. Sed de eo, quod in votis præcipuè habebat, nihildum potuerat accipere. Quare exploratura, num inter ea, quæ diuinitus intellexerat, nihil de noui feſti ſanctione percepiſſet; de VEN: SACRAMENTI majeſtate ſermonem aliquando intulit, & poſt multa vltro citroque ſanctè agitata: Cùm tantum habeamus, inquit Iuliana, in auguſtiſsimo hoc Myſterio miſerationis in nos Diuinæ pignus, quid ſi, mea Iſabella, tanti huius beneficij prima exordia, proprio quodam cultu, ſacroque veneraretur orbis Chriſtianus? At illa. Quotidiana eſt muneris huius Diuini apud Chriſtianos memoria: quotidianæ ſunt in ſanctiſsimo miſſæ ſacrificio gratiæ: quid vltra poſcis? Si gratias referri pares exſpectas; nunquam id profectò dabit mortalium egeſtas. Perculſa eſt grauiter inopinato hoc reſponſo Iuliana, & veluti ferro tranſuerberata. Acri commotam dolore ſenſit Iſabella; & clariùs illuſtratam Iulianæ mentem, aliquid ſupra humanum, de myſterij huius digni-

Iſabellam Hoio euocat: rerũ ſuarum facit participem: ipſa quidem primùm improbat:

Digitized by Google

tate percipere, quod ipſa nondum attigiſſet. Quapropter quæ ſanctarum mentium laudabilis eſt æmulatio, vt quidquid virtutis in alijs animaduerterint, in ſe piâ contentione nitantur exprimere; Numinis ſollicitare pietatem cupidiſsimè cœpit, vt quem venerationis in ſacroſanctâ EVCHARISTIAM affectum immiſiſſet in Iulianam, aliquo ſaltem ipſa in ſe modo perſentiſceret. Et quo magis in ſuam Deum ſententiam traheret, plurium aliorum preces ſuis adiungebat. Annum iam totum in hac ſanctâ perſtiterat ambitione, cùm aliquandò clauſam Martinianam viſura, S. Martino ſacram ędem perſpexit patentem. Breui oratione Deum ſalutatura ingreditur. Sed ecce dum affixum Cruci Chriſtum veneratur è genibus, ſtatim cœlum veluti diſcedere videt, & beatarum mentium curiam patere. Hìc vnanimi omnes ordines conſenſu flagitare cernit, vt mundo iam labante ad interitum, Eccleſiæ militanti ſuppetias ferat æterna Bonitas. vnum eſſe, validiſsimumque ad confirmandas hominum vires alioqui plurimùm inclinatas ſubſidium, quod ante res omnes conditas, in arcano Sapientiæ ſuæ penetrali Sanctiſsima TRINITAS hactenus deſtinauerit. promatur tandem, velut ex inſtructiſsimo infiniti amoris armamentario, munimentum fidei Chriſtianæ firmiſsimum. Similia orantes

ſed mutat ſententiã ex viſo admirabili.

rantes Superos videre ſibi videbatur, & audire: oraculumq́; ex adyto Diuino precibus annuere; affirmareque futurum, vt breui auguſtum ſacroſancti huius myſterij feſtũ orbi Chriſtiano propoſitum merito honore coleretur. Reddita ſibi tandem Iſabella, viſa eſt ex illo flagranti cœlitum deſiderio flammam aliquam concepiſſe. nam adeò ſe immutatam ſenſit, vt nihil æquè deſideraret: affirmaretque identidem, etiamſi orbis vniuerſus contraniteretur, ſe vnam totis viribus certaturam, quandoquidem eam eſſe Numinis voluntatem intellexiſſet, vt ſolemne feſtum indiceret Eccleſia. Mirum quanto exultarit gaudio Iuliana, hanc nacta decreti Diuini teſtem, ſecretorumque ſuorum participem. Hinc in commune liberiùs conferre cœperunt, quæ ad rem promouendam facerent; atque inuicem aperire, quid è cælo mentibus infundi ſentirent.

CAPVT XXVII.

Virorum grauium ſententiam exquirit, & obtinet.

INterea cùm iam Deus vrgeret, eſſetque parendum; neque aliter rem alioqui à Deo inſtitutam, quàm hominum conſultationibus, ad exitum perducendam videret Iuliana, totam ordine refert ad venerabilem morũ integritate virum Ioannem

de Lauſanâ. Erat is hac tempeſtate Leodij Canonicus ad S. Martini, natione Gallus, virgini noſtræ virtutis nomine coniunctiſſimus, ideoque frequentior eius erit poſthac mentio. Ad eum viri multi doctrinâ, religioneque clariſsimi ſæpius ventitabant, rebus ſuis orationum præſidium rogaturi. Commodiſsimũ viſum eſt, ſi viros ſapientes, vel ad ſe venientes, vel aliâ iunctos neceſsitudine conſuleret, remque totam permitteret explorandam. ſed tacito nomine ſuo peragi omnia ſtudioſè flagitabat virgo modeſtiſsima. Conſulti ſunt Iacobus Pantaleon Trecenſis, in Eccleſiâ Leodienſi Archidiaconus, ſanctimoniâ nõ minùs, quã eruditione illuſtris, & ad ſupremum deinde Pontificatum euectus. Frater Hugo de S. Charo Burgundus, in ſacrâ S. Dominici familiâ Prior, vt vocant, & Prouincialis; ac poſtea Cardinalis S. Sabinæ in Auentino, ab Innocentio quarto creatus. Guido * Epiſcopus Cameracenſis virtutibus, litteriſque nobiliſsimus. de his plura ſuo loco cõmemorabimus. Sententiam ſuam rogatus eſt præterea * Cancellarius Pariſienſis, eo maius momentum habituram, quo celebrius, & velut vnicum orbe toto Chriſtiano, in hac academiâ, domicilium aliquot tum ætatibus Sapientia fixiſſe videretur. E ſacro Prædicatorum Ordine, qui ante paucos annos Leodij ſedem poſuerat, Theologica

Conſuluntur viri graues:

28.

29.

gicâ ſapientiâ, & virtute conſpicui ſententiam dixerunt, Aegidius, Ioannes, & Gerardus. Hic ille eſt autor libri *De Doctrinâ cordis*, qui propter ſalutares præceptiones, iterum Duaci nuper in lucem redijt. De Ioanne nihil inueni. Aegidium eum eſſe mihi perſuadeo *quem anno 1239. coronam laborum, quos in Ordine Prædicatorum, pro ſalute animarum, & fidei propagatione, ſuſtinuerat in Belgio, morientem recepiſſe* teſtatur Bzouius. Alij denique plures vitæ integritate, & humanâ, Diuinâque ſapientiâ præclari, rogati quid ſentirent, edixerunt. Re totâ grauiter in omnem partem diſputatâ, omnium mens, & vox vna fuit: Non modò nihil doctrinæ Catholicæ aduerſari; verùm publicæ rei Chriſtianæ videri conducere, tum ad gratias, vt par eſt, habendas, tum ad excitandam ſubinde in hominum animis religionem alioqui ſeneſcentem, ſi in poſterum propriâ quâdam celebritate, venerandum SACROSANCTI SACRAMENTI feſtum Eccleſia proponeret. *rem probant:*

Aduerte mecum hìc, amice Lector, quomodo homines ſanctiſsimi iuxtà ac ſapientiſsimi, concordibus ſuffragijs tum approbarunt; quod ſanctâ deinde, & œcumenicâ Synodo Tridentinâ ſanxit firmiſsimè, & decreuit Eccleſia: vt ne dubites eodē prorſus Numinis afflatu rem fuiſſe tum probatam, quo poſtea irrefragabili decreto conſtituta *eodem nimirū ducente Deo, quo deinde ſynodus Tridentina probauit.*

 ſtituta

Digitized by Google

ſtituta eſt. Contrà verò quemadmodum iſtâ ætate homines, turpiſsimâ ſui, rerumq; bonarum omnium ignoratione inſigniter cœci, rem ſanctiſsimè ſanciendam impedire contenderunt; quàm noſtris temporibus vt euerterent inſtitutam, hæretici machinas omnes admouerunt: ita perſuaſum habe, & indubitatum, denſiſsimas vtrimque tenebras, eodem autore diabolo fuiſſe offuſas. Hodie profectò hæretici cùm obſtinatis animis pernegent latere verũ Chriſti CORPVS in Euchariſtico Sacramento, vel certè Diuino cultu venerandum eſſe; inde ſe putant euincere feſtum hoc impiè celebrari: cùm tamen, vt contrà diſputat Illuſtriſsimus Cardinalis Bellarminus de cultu Sanctorum l. 3. c. 15. *Etiamſi non eſſet verè Chriſtus in* EVCHARISTIA, *vt Caluiniſtæ dicunt; vel non deberet adorari, vt dicunt Lutherani; tamen adhuc iuſtum eſſet, habere certum diem, quo recoleremus memoriam Inſtitutionis eius Sacramenti, quod etiam Lutherani, & Caluiniſtæ maximum Sacramentorum eſſe concedunt.* Sed reiectis Tartari mendacijs, iuuat ad veritatem Catholicam Tridentinâ tandem Synodo fortiter propugnatam, nobiſque propoſitam, velut ex itinere nos conuertere: non paruum inde ducitur pijs animis ſolatium. Ita loquitur Seſſ. 13. cap. 5. *Declarat præterea ſancta Synodus, piè & religiosè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſ-*

vti & multi improbarũt, eodem inſtigante genio, quo hodie hæretici.

ſe

ſe hunc morem, vt ſingulis annis, peculiari quodam, & feſto die, præcelſum hoc, & venerabile SACRAMENTVM, *ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur; vtq; in proceſſionibus reuerenter, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur. Aequiſſimum enim eſt, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes, ſingulari, ac rarâ quâdam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos, erga communem Dominum, & Redemptorem, pro tam ineffabili, & planè Diuino beneficio, quo mortis eius victoria, & triumphus repræſentatur: atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tantâ vniuerſæ Eccleſiæ lætitiâ poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant; vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.* Habes hinc ad augendam venerationem, fidemque ſubſidium. Munimentum item in aduerſarios ſubiungitur Can. 6. *Si quis dixerit, in Sancto* EVCHARISTIAE *Sacramento, Chriſtum vnigenitum Dei Filium, non eſſe cultu latriæ, etiam externo adorandum: atque adeò nec feſtiuâ peculiari celebritate venerandum; neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem, & vniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum, & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum: vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum; & eius adoratores eſſe idololatras: anathema ſit.* Hæc ſemel exiſtimaui producenda, quò Iulianæ cauſa, toties

toties deinceps nobis agitanda, teſtatior ſit in poſterum: conſtetq; pro tuendo, & propagando Numinis honore, tot aduerſis exercitam eſſe ſanctiſsimam virginem. Ad inſtitutum reuertor.

CAPVT XXVIII.

Feſti noui Officium committit ſcribendum iuueni cuidam, qui Numinis ope feliciter exequitur.

CVm iam lectiſsimorum hominum ſuffragia tuliſſet Iuliana, ſecum ipſa de felicibus auſpicijs gratulabatur, ſupremoque Numini gratias habebat. Sed vt cœpta feliciter vrgeret, è re futurum iudicauit, ſi
30. *Officium*, * quod vocant Canonicum, futuro feſto proprium ſcriberetur. Circumſpexit diu, cui viro Diuinarum rerum ſcientiâ pollenti commendaret: cùmque huiuſcemodi nullus occurreret, quo liberè, & ad arbitrium vteretur; rata Diuinæ Maieſtati placere humiles ad maxima quæque conficienda; ſeſe conuertit ad Ioannem quendam, vnum è clero domeſtico. Iuuenis erat, ſed integritate primâ ſpectandus: ideoque cùm ab humanâ doctrinâ mediocriter ſciret paratum, certiùs ſibi perſuadebat æternam Sapientiam minimè defuturam; quæ quidem conſilio mirabili, per totam hanc hiſtoriam

hiſtoriam inſtrumentis vſa eſt imbecillioribus. Ioannes verò is ipſe eſt, quem iam olim diuinitus acceperat, prędixeratúe clauſæ Martinianæ magno ſibi in calamitatibus ſolatio futurum; vt mox dicemus. Huic animum aperit, ſimulque rogat, id laboris in ſe reciperet. Ille ſtatim velut horrere, & imperitiæ causâ longè à ſe reijcere. Sed virgo, vt ſi hominis mentem in manu haberet, quà exhortando, quà puſillanimitatem caſtigando, quà Dei opem ſeriò pollicendo, tandem impulit vt annueret; lege tamen hac poſitâ, vt cùm ſuam ingenij, doctrinæq; tenuitatem, huiuſce myſterij majeſtate non dubitaret obruendam, dum ipſe pro ſuo captu operam conferret, orationum ſuarum Iuliana ſymbolum impenderet. Igitur ex pacto, ad preces inde Iuliana, ad libros hinc Ioannes abit. Quidquid vbique ad auguſtiſsimi SACRAMENTI dignitatem, & religionem inter homines augendam faceret, colligit ſtudioſè, & in Antiphonas, vt vulgò loquimur, Capitula, Reſponſoria, Hymnos, Verſiculos, Lectiones, Orationes deſcribit; ſed eâ facilitate, elegantiâ, rerum, verborumque grauitate, & ordine, vt quemadmodum fateri ſolitus eſt ipſe, iure quàm optimo, Iulianæ precibus adſcribi deberent, quandoquidem eiuſcemodi nihil de ſe polliceri, nec ſperare potuiſſet. Laboris aliquam partem vbi confeciſſet,

Officium conſcribitur,

operam hinc dante iuuene quodam indocto.

Digitized by Google

orante illinc, & emendante Iulianâ:

ciſſet, ad Iulianam referebat, vt arbitram. Nec ſanè viro pudori erat, ſe iudicio virginis ſiſtere, quam mirâbili Diuinorum cognitione, ab ipſo Sapientiæ fonte Deo decoratam non ambigeret. Quare quod ſemel probaſſet ipſa, relinquebat intactum; immutabat lubentiſsimè, quidquid ita cenſuiſſet: ſi manum ipſa fortaſsis addidiſſet, probabat ſummopere. ea fuit virginis apud ipſum autoritas. Et ſanè tanto ingenij acumine, grauitateque iudicij ſingula perpendebat Iuliana, vt nullâ deinde virorum doctiſsimorum opus fuerit cenſurâ. Eâdem denique ratione, quoties ad ſtudia Ioannes, ad Deum ſe toties Iuliana referebat; ac deinde communi conſilio, partem conſcriptam examinabant, donec tandem ad optatum exitum peruenirent. Totum feliciter confectum, Iuliana illuſtrium Theologorum, cùm eorum, qui paucis antè diebus totam hanc cauſam perpenderant, tum aliorum iudicio ſubiecit. Sed nihil non probare potuerunt: adeòq; plures operis grauitatem, puramque religionem admirati, autorem requirebant. At qui iuuenem norant, certè in alium referebant laboris decus: Nec enim, inquiebant, huic iuueni imperito, altiorumque diſciplinarum ſtudijs nihil imbuto, tantum opus, tamque perfectum, quod nullius etiam Zoyli cenſuram timeat, adſcribi poteſt. ipſum Deum autorem eſſe, fateamur neceſſe eſt.

ſed tam feliciter, vt doctiſſimis nihil occurrerit improbandũ

CAPVT XXIX.

Res in vulgus ſparſa magnos excitat motus in Iulianam. Aduerſus quos præſidia quærit Coloniâ, Tungriſúe, ac Traiecto, à Sanctis quorum ibi Templa, ſacraúe Reliquiæ coluntur. Dæmon iter impedire fruſtra nititur.

TRanquillo rerum hactenus curſu, proſperoque ferri Iuliana ſibi videbatur: nondum quippiam regno ſuo formidandum exiſtimabat dæmon, quamdiu priuatim res geri, & leuia quędã principia dumtaxat animaduertebat: ſed vires mox omnes exeret in ſanctam virginem, non animo tamen imparatam; vt quæ omnes eius dolos è cælo didiciſſet, & clauſæ Martinianæ pridem aperuiſſet. Imperatam optatiſsimi huius feſti ſanctionem quo promoueret Iuliana, ventitare cœpit ad viros Eccleſiæ Leodienſis Principes, quos & autoritate valere, & rei totius autores eſſe debere, probè intelligeret. Eis rem, & cauſas, quàm poteſt diſertiſsimè demonſtrat, ſtudioſiſsimèque rogat, vt quod ſummo hominum bono, Diuinæque majeſtatis honori verteretur, pro ſui gradus dignitate, tuendum, propagandumúe ſuſciperent. Sed nihil effecit: fabulas aniles loqui viſa eſt. Itaque primùm inter ſe ipſi, mox paſsim in circulis, interq; pocula,

Res cum autoritate ſanciẽda commendatur:

ſed paſſim videtur.

pocula, riſum ex mulierculæ ſomnijs (ita loquebantur) captant. Denique per totam breui, quaquà patet, Diœceſim Leodienſem vulgatur, feminam quampiam nouum aliquod feſtum proponere, cuius in mentem ſomnianti veniſſet. Secus aliqui ſentiebant; ſed rari, ijque, quos humilitas, ſinceraque modeſtia cælo probaſſet, & cæleſti clarioris intelligentiæ radio dignos reddidiſſet.

Vnus Hugo Dominicanus publicè probare audet.

Vnus Hugo in Dominicanâ familiâ Prouinciȩ Prȩpoſitus, Diuini honoris inductus ſtudio, palam rem audebat probare, aſſerereq; eſſe cæleſtis conſilij. & cùm præfractos plurimorum animos videret, in concionē ſubinde prodibat, atque acerrimè pro ſuâ facundiâ Dei gloriam propugnabat: paruo, vt tum quidem videbatur, fructu. at profectò ſementis iaciebatur, quæ in terrâ quidem lateret aliquamdiu, ſed vberem ſuo deinde tempore frugem proferret. Ceteri in tranſuerſum acti, ridiculo excipiebant. atque inter hos præcipui, qui doctrinâ, ſed illâ, quæ inflat, vt ait Apoſtolus, clariores, neſcio quâ nominis autoritate ſecum alios in diuerſa rapiebant. Et repugnabāt magis, quàm populus, qui aliquem in Eccleſiâ gradum tenebant; immo, quod ampliùs doleas, illi ipſi qui aſceticam diſciplinam ſectabantur. Quorum omnium, ſi cur intercederent, ex ijs quæreretur, vnicum hoc erat reſponſum, validiſsimumque argumentum:

tum: Abunde primam auguſtiſsimi huius SACRAMENTI originem cultu, ſacrificioque quotidiano celebrari. Idem prorſus fuit ætate noſtrâ hæreticorum ob eandem rationem ſenſus. Itaque per compita, in ædibus, in omni congreſſu, epulis omnibus, vbique Iulianæ nomen proſcindebatur, ſomniatricis cognomento celebrabatur adeò vulgariter, vt qui neque vidiſſent vnquam, neque nouiſſent, ſe etiam in maledicentiâ præberent diſertiſsimos. Ita vulgi fabula, ſcommatibus, ſannis, ſatyris, die, noctequc lacerabatur. Hominum deſtituta præſidijs, cùm ſe Dei cauſam ſuſcepiſſe, generoſa virgo non ignoraret, de mentis ardore, ſtudioque rei promouendæ nihil remiſſura, ab ipſo Deo ſtatuit eſſe opem quærendam. Vtque & religioſâ peregrinatione, & Sanctorum plurium patrocinio vndique collecto, cauſam fulciret, Coloniam proficiſcitur, vrbem ſacroſanctis Cælitum reliquijs venerandam, glorioſoque vndecies millenarum virginum certamine nobilẽ. In vię comites aliquot è domeſticis virginibus aſſumit, propoſiti tamẽ ignaras. Sed ecce quemadmodum ſuis noſtra virgo partibus non deeſt, ita in ſuas incumbit attentiſsimè dæmon, artibuſque omnibus, aut impedire prorſus iter, aut remorari conatur. Certè cùm in omnem occaſionem inuigilaret, Deo volente ſactum eſt ali-

Iuliana ad opem Diuinam conuertitur.

Perigrinationem Coloniam inſtituit.

fruſtra obnitẽte dæmone:

quando, vt à quibuſdam videretur imminens currui, quo ob corporis infirmitatem vtebatur Iuliana. Verùm quæ ad eius fraudes, & certamen erat exercitatiſsima, Orationis quamprimum obtecta ſcuto, niſus eius omnes aut retudit, aut eluſit; hoſteque nequicquam frendente, Coloniam peruenit. Appulſa, inſtituti ſui memor, è veſtigio ad Principis Apoſtolorum ædem deduci poſtulauit: huic enim cauſam debere eſſe commendatiſsimam ſibi perſuadebat, qui Chriſtianum orbem vniuerſum in clientelam admiſerit. Ante aram igitur eius templi, in terram abiecta, tantâ contentione mentis, & ardore S. Apoſtolo patrocinante, Diuinæ majeſtati totius Eccleſiæ decus, adeòque ſalutem, ad quam nouo feſto non parua fieret acceſsio, commendare cœpit, vt terris in cælos animo prorſus erepta, diutiſsimè perſtiterit immota. Tandem ingruentibus tenebris, vi à ſodalibus abducta, cùm ad ſe rediјſſet: Hei, inquit, cur ante meſſem me retrahitis. Ita cæleſtes delitias in hac vitâ *qui edunt, adhuc eſuriunt; qui bibunt, adhuc ſitiunt, donec apparuerit gloria tua Domine*. Pari religione diebus aliјs, cùm ad alia Sanctorum templa ſupplicationes inſtituiſſet, Leodium reuertit incolumis. Sed non ſtetit hîc ſanctiſsimæ noſtræ virginis ambitio. Sacris item aliјs locis cælites prenſare, & omni officio conciliare ſtatuit

au-

autoritatem. Tungris tertio ab vrbe Leodienſi lapide, ædes eſt, vt fertur, * prima è Tranſalpinis Virgini-matri dicata, multâ populi religione, & miraculis eximia, nobiliſque in paucis rerum ſacrarũ, & reliquiarum varietate. Inſuper & quarto lapide Traiecti ad Moſam, magnâ veneratione, & frequentiſsimo populorum vndique concurſu, S. Seruatij colitur ſepulcrum, plurimaque variorũ Sanctorum lipſana. Vtrumque ſolito pietatis ſtudio, adijt Iuliana: ſed & ſolitis artibus impedire dæmon contendit. Nam apertâ, faciliq́ue viâ, quo fraudes eius paterent, currum, quo vnà cum ſodalibus vehebatur, ſuſque deque vertit; ſed opitulante Diuinâ bonitate, fruſtrà. illæſæ prorſus, & integræ ſurrexerunt omnes à lapſu.

deinde Tungros, 31. ac Traiectum: aduerſante iterum dæmone.

CAPVT XXX.

Domi nouam excitat procellam ſacrilegus Prior, orituram longè antè viderat Iuliana.

SIue ergo his Iulianæ ſollicitationibus conciliaretur Deus, potentique ſuauitate ſenſim efficeret, vt præfractiorum animi inclinarentur; ideoque feliciori in dies curſu ſanctiſsimi feſti ſanctionem promoueri dæmon animaduerteret: ſiue vndique crudele bellum inferi pararent in Iulianam,

Iuliana turbas orituras prauidet,

 quo

quo ſparſis viribus minùs in alteram partem poſſet incumbere, vel certè prorſus eius deponeret curam: noua, & turbulentior à domeſticis inſurgit procella; ſed non inexſpectata Iulianæ. Quæ cùm ad Euam fortè Martinianam aliquando veniſſet, & quâ datâ neſcio occaſione, incidiſſet in hos ſermones: Iam tandem, ait, qui ſe adhuc frequentiſsimè ſpectandos ſtiterunt, dæmones, artibuſque varijs mecum decertârunt, ſeu victos ſe putent, ſeu nouas ſtruant fraudes, me reliquerunt. Verùm qui in hominum animis, velut impoſito vitiorum præſidio, ſedent impij genij, atrociùs in me poſthac inſurgent, & immanius inferent bellum: adeòque in communem omnium parentem Eccleſiam, omneſque eius fautores, qui pio quodam ſtudio ſplendorem eius, & gloriam procurabunt, mouebunt arma. ſed omnium telis vna ego pręcipuè petar. Initium hoc anno dabitur, cùm Godefridus Præſes noſter, rerum mearum inter mortales præſidium non mediocre, defungetur. Eius vices excipiet è domeſticis quiſpiam, quo familiam adminiſtrante, in me irruent agmina tartarea, tantâq; ſæuient immanitate, vt tandem hoſtium ſim declinatura cónſpectum. Iuuenis quidem alius item è domeſticis, ſuſtinendis aduerſariorum incurſionibus ſocium ſe præbebit, feretque ſuppetias; verùm tamen mihi fugiendum

ac prædicit Eua quàm apertiſſimè

Digitized by Google

giendum erit. Tum verò, Eua, profugam numquid excipies? Hæc vltima dixerat, obortis lacrymis: & Eua omne ſubſidium prolixè pollicita, dolorem lenire conata eſt. Res euenturas apertiſsimè depingebat hoc vaticinium. Nam eodem anno decurrente, diem obijt Godefridus Prior (ita tum temporis loquebantur) Cornelianus; vir munere ſuo digniſsimus; qui tum precibus apud Deum, tum vigili homines inter curâ ſatagebat, ſubditos omnes ad virtutem inſtituere, vitia propulſare, communique cum Iulianâ ſtudio, Religioſam integritatem tueri. Huic ſacrilegis artibus ſubrogatus eſt quidam alius, quàm virtuti, tam Iulianæ infenſus ob ſcelera, quibus vitam inquinatiſsimam agebat: & cùm ſalubres virginis accuſationes, ſtimuloſque ad meliora ferre non poſſet, odio implacabili in tranſuerſum agebatur. Noui iam igitur muneris autoritate ſubnixus, quas vires ad ſupremi Numinis gloriam, ac ſplendorem Religioſæ diſciplinæ tuendum debuerat accepiſſe, ſtudia in contraria abuti cœpit. Atque ſeu probabilem aliquam ſpeciem inimicitiarum cum Iulianâ exercendarum ambiret, ſeu largitionibus impijs exhauſtus quæſtum ſceleratum exquireret, ſeu vitæ perditæ ſumptus procuraret neceſſarios; ſibi exhiberi, atque in poſterum committi voluit tabulas, publicâ fide conſignatas, qui-

Impius quidam Prior Cornelianus in Iulianam concitatur:

prudenter obſiſtit Iuliana.

bus rei totius familiaris rationes continerentur. Iuliana, cui longo vſu pateret exploratus hominis animus, vectigal domus annuum periclitari ſatis intelligebat, ſi eius manibus omnia crederentur. Nihilominus ne proprio ſenſu duci videretur, virorum religione, prudentiâque inſigni præditorum conſilium exquiſijt ſuper hac re, conſuluitque ſodalium ſuarum partem ſaniorem. Vtrimq; reſponſum eſt, penes ſe ſeruaret omnia, ſi ſalua vellet. Ita conſtituit Iuliana, Priorique daturam negauit. Hoc omnis accuſationis, calamitatiſque ſecuturæ ſeminarium iactabitur.

CAPVT XXXI.

Plebem Leodienſem in ſuam cauſam Prior trahit, eiuſq; vſus furore, vim parat, & domum Iulianæ diruit.

APerto Marte virtutem ſcelera nunquam aggrediuntur; honeſti, iuſtique perſonam ipſa ſibi ſumunt, & in hoſtem regerunt omnem turpitudinem. Irritatus repulsâ Prior, æquè ac ſi iuſtiſsimam nactus eſſet accuſationem, cum familiaribus ceteris, qui ob ſcelera, Iulianæ caſtigationes infenſis animis dudum acceperant, atque vndique occaſionem aliquam captabant, in vnius virginis caput coniurat. In vrbem ergo

ergo magnis clamoribus irrumpunt, ceu omnia ruerent, niſi fulciantur. In priuatos paſsim congreſſus, publicoſúe dant ſeſe, in circulos inſerunt, ſubeunt popinas; vnam feminam declamitant, toti populo, ius omne in Cornelianam domum adimere, Epiſcopo totum tranſcribere; rationum tabulas vi retinere in ſuâ poteſtate: magnam pecuniæ vim iam Epiſcopo dediſſe, quo neſcio quæ ſua ſomnia feſto quopiam nouo celebrari impetraret. Iacta huiuſcemodi mendacia in vulgus, eo magis credita ſunt, quòd ſummum populi ius agi videretur; de quo iam tum in primis domus incunabulis magnâ contentione ciues decertarunt. Nullo maturiori conſilio, quæ plebis eſt in rebus agendis præcipitatio, ſed temere collectâ tumultuantium manu, ad Cornelianam domum concurritur: & velut inſanorum hominum turba, pars aduerſarij Iulianæ domeſtici, pars è plebe turbulentiſsimi quique, curſim magno impetu, clamoreque in virginis innocentis oratorium rapiuntur, effringunt fores, irrumpunt; ſurſum, deorſumque curſitant, Iulianam inclamant: ſed non multò antè à ſodalibus tutiorem in locum erat recepta. Quare ad conquirendos rationum libellos ſe conuertunt. Iteratâ quaſi rabie, partem in omnem curritur; excutitur omnis angulus, intactum nihil relinquitur, præter

Accuſatur apud plebem Iuliana:

primum accuſationis caput eſt nouum Feſtum.

Plebs concurrit:

domum Cornelianam irrumpit:

à Deo excœcata, quod quærit, non inuenit:

ipſam arculam, quâ continebantur, patenti nihilominus expoſitam loco, & cuilibet intranti primùm obuiam, niſi vel furor, vel Deus, quod certè crediderim, excæcaſſet. Irrita cœpta rabiem magis inflammabant; quam effunderent deinde, tum ore ſacrilego in binas ſanctimoniales, quas in oratorio deprehenderant; tum impijs manibus, obuia quæque ſpargentes in terram, pedibus conculcantes, lacerantes, ac diffringentes in fruſta; denique totam eam habitationem breui ſpatio dirutam ſolo æquarunt.

Iulianæ oratoriũ diruit.

Cùm tandem immanis illa poſuiſſet tempeſtas, & ad ſua homines ſacrilegi ſe recepiſſent; regrediuntur ad ruinas Cornelianæ ſodales, & quaſi ab hoſtili vaſtitate, effracta, diſiectaúe dum colligunt, infractam, adeòque intactam rationum arculã vident, & admirantur. Quod vbi accepit Iuliana, meritò ſanè in Dei beneficentiam retulit, eiuſque autoritate exiſtimauit confirmatum, quod ex mortalium antè iudicio conſtituerat, rem omnem familiarem Prioris arbitrio non permittere.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXII.

Cùm neque hîc ſiſteret odium, cedendum exiſtimauit Iuliana. inſigni caritate ad S. Martini recipitur.

IRriti conatus nihil Prioris odium infregere; ſed de cœptis nihil remittendum cenſuit, donec tandem ex animo rem confeciſſet. Atque ne temporis diuturnitate plebis feruor primus elangueret; immo vt ſuis rebus deuotam magis redderet, à largitionibus (artibus ſibi notis) ſubſidium accepit. Quare cùm in dies ampliùs efferueſceret aduerſariorum furor, & periculum creſceret; non ab omni peccato futuram ſe prorſus immunem cenſuit Iuliana, ſi inimicorum rabiem in cædem fortaſſe prorupturam non declinaret, quandoquidem leui negotio hoſtibus eripi poſſe videretur, ſi domo cederet. id enim minus exiſtimabat, quàm cœnobij res in ſacrilegi helluonis tradere poteſtatem. Conſultæ ſodales, eæ nimirum, quæ ſanctioris diſciplinæ retinentes, vti Præſidi ſuæ, ita æquitati cauſæ adhærentes, in calamitatum partem aliquam veniebant; approbarunt in primis conſilium, & ſecuturas, quòcumque duceret, confirmarunt. Admiſit in comitatum lubens Iuliana; relictâque domo, velut

Nõ ceſſat ſceleratus Prior.

Cedit domo Iuliana:

recipit ſe ad Euam Martinianàm:

exul miſeranda, venit ad clauſam Martinianam. Excepit hoſpitaliter Eua; quod olim prolixè promiſerat. & quanquam Iulianæ calamitatem grauiter ferret, datam ſibi gaudebat occaſionem, quâ ſuum in virginem, vti dulciſsimam parentem ſuam, cui vitam religioſiorem deberet, amorem teſtaretur. Itaque quibus potuit officijs, ſtudijs, comitate, profugas recreare ſtatuit. Atque hìc exiſtimo factum, quod apud clauſam aliquam tacito nomine fertur cōtigiſſe. Suadebat illa Iulianæ, velo nigro caput obnuberet, ne quiſpiam ex aduerſariorum factione, dum illac iter haberet, è plateâ per feneſtras agnitam, pro ſuo in illam odio, appeteret contumelijs, adeòque forſan iniurijs. Abſit, reſpondet Iuliana, vt hac in causâ me diſsimulem, & aduerſarijs fucum facere videar: pugnat id cum ſimplicitate Chriſtianâ. Candorem animi eximium habes; & ſi nihil aliud, profectò teſtem integritatis admirandæ. Ceterùm cùm cellæ anguſtijs non commodè profugarum turba caperetur; adfuit mox, vbi audiuit, Ioannes de Lauſanâ, in S. Martini Canonicus, Iulianæ magnus cultor, item & virtutis, vt ſuprà meminimus; ac enixè poſtulare cœpit, ad ſe migrarent: ædes ſibi laxiores eſſe, in quibus opportuniùs pro inſtituto ſuo, quantum neceſſe eſſet temporis exigerent: fructuum ſuorum, quos ab Eccleſiâ per-

integritatem ſuam teſtatur.

Ioannes de Lauſanâ ædibus ſuis excipit.

perciperet, partem additurum, vt ijs vitam tolerarent: ſe ſuis interea ædibus cedere. Obſtupuit ad hominis pietatem, bonique Dei prouidentiam Iuliana: & expanſis manibus: Quas tibi, optime Deus, inquit, gratias habeam, ob oraculi Apoſtolici confirmatam in me veritatem? *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari, ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione prouẽtum, vt poßitis ſuſtinere.* Aliquam hic mihi familiaritatem eſſe quidem ſemper exiſtimaui; ſed ô bonitatem Numinis immenſam! quàm arctum officioſæ neceſsitudinis, & beneuolentiæ vinculũ experior! Ad Ioannem deinde conuerſa, poſt laudatam viri caritatem, opportunum eius obſequium admiſit.

CAPVT XXXIII.

Eius innocentia Epiſcopi ſententiâ probatur. Aduerſario Hoium ob ſcelera relegato, alius ſufficitur.

AMicâ probi hominis liberalitate familiam ſuam bonitas Diuina recreauerat: in integrum etiam reſtituere ſententiâ iudicis decreuit. Viri quidam ſanctiores, amici Iulianæ, accuſationem in improbum Priorem, apud Leodienſem Principem inſtituerunt. Accuſationis capita hæc ferè fue- *Accuſatur apud Epiſcopũ Prior.*

fuerunt: Quòd ſacrilegis largitionibus ad Prioris munus viam ſibi feciſſet: quòd aſceticam diſciplinam euerteret: perderet rem familiarem: quòd Iulianam impijs ſuis conatibus obſiſtentem, contra fas, modis omnibus perſequeretur, adeòque plebe per ſeditionem concitatâ, ac tumultuante, domo cedere coëgiſſet. Grauiter affecit Principem hæc accuſatio. Robertus dicebatur, qui non ita pridem ex Epiſcopo Lingonenſi aſſumtus erat in Leodienſem anno 1240. Fratrem habebat Radulfum, Virdunenſem item Epiſcopum, & Ioannem de Torotâ Campaniæ Gallicæ præfectum, quem vocant Balliuum. Ipſe iudicio, eruditione multâ, virtutibuſque non parum excultus, bonos omnes amabat: capiebaturq; in primis Iulianæ ſanctimoniâ. Quare ad S. Martini contendit ipſe, Iulianamque conuenit. Ex quâ cùm iniuriarum ſeriem aliquam didiciſſet, bono animo iuſsit eſſe, & loco ſe tenere, dum inquiſitione factâ, partibuſque auditis ſententia ferretur. Anquiri iubet interea; & vtriuſque partis firmamenta rationibus confirmari, & infirmari. Neque ſub hęc rumoribus parcebatur: erant etiamnum qui factioni Prioris adhærentes, Iulianam inani religionis ſpecie, Epiſcopo fucum facere ſuſurrarent; Prioremque innocẽtem accuſationibus iniquis obrui. Quod aliquando, cùm quidam virginis noſtræ familiaris,

Iulianam inuiſit Epiſcopus, & ſolatur

miliàris, inter colloquendum, amicè indicaſſet, adderetque nonnulla hanc in rem de vulgi rumoribus: At verò, inquit ipſa, quandoquidem ita de me loqui compellar, hoc tibi perſuadeas omnino velim; nunquam vllam vel grauiſsimam irrogatam à factionis aduerſariæ ſectatoribus iniuriam, tantùm in me potuiſſe, vt, quod quidem comperire potuerim, ab inſtitutionis Euangelicæ recto tramite, vel minimùm abduxerit. Et certè rei alicuius humanæ pretium, vel ſplendorem maximum fingas licet, nõ tanti æſtimo, vt eius conſequendi ſpe adducta, mendacium in Priorem confictum, ore mihi velim excidere: nedum ſuſtineam in ipſum moliri, cuius conſcientiâ ſollicitari deinde, turbarique poſsit animus. Tantam mentis æquitatem honoris ſui causâ ſeruatam, Diuina iuſtitia non potuit indefenſam relinquere. Sed Principis legati, omnibus seriò, diligenterque perpenſis, & diſcuſsis, ex ſingulis viris, feminiſúe, qui aſceticam in Cornelianâ domo profiterentur, cùm fidem ſolemniter ab eis priùs accepiſſent, accuſationis capita ſingula ſic probari compererunt; vt nullum, quod validè repugnaret, ab aduerſarijs regereretur argumentum. Atque quo manifeſtiùs teneretur, factum eſt, vt quidam è domeſticis, Prioris aſſecla, ſcelerum pœnitudine ductus, ad ſaniora reuerteret; teſtareturque tantam rei familiaris iacturam

Mira virginis innocentia:

quæ primò teſtibus optimis.

iacturam à Priore factam, quantam non facilè exæquaret argentum toti eius corpori in alterâ lance appenſum. Quanto igitur iure, quantâue ſapientiâ, rei domeſticæ rationes Iuliana tanto nepoti credendas non exiſtimauit? Quæ tandem omnia cùm accepiſſet Epiſcopus ita manifeſta, vt ipſi rei negare non poſſent, ſententiam tulit. Iulianam in Cornelianâ domo cum ſodalibus eſſe iuſsit: Eum, qui ſe Priorem dixerat, ſacro magiſtratu abrogato, ad Hoienſe Noſocomium relegauit. A fugâ tres toti menſes abierant, cùm ſanctimoniales ædibus ſuis, & quodammodo ipſæ ſibi poſtliminio reſtitutæ, de Præſide in pulſi locum ſubrogando, conſilium ineunt. Plerique, quos nota virtus commendabat, iſtud oneris refugiebant, ignes veriti cineri doloſo ſuppoſitos, qui nouâ aliquâ procellâ maius excitarent incendium. Etenim ea ſolet oriri præſidum vel ignauiâ, vel ſcelere pernicies, quę non facilè cum ipſis pellatur exulatum, aut ſepeliatur; ſed manent condita quędam ſemina, quæ maius in malum plerùmque pullulent. Res familiaris euerſa, peſſumdatæ leges, & veluti ſceleribus antiquatæ, libertati iam aſſueta mens multorum, adeòque diſciplinæ rectioris impatiens, à gubernaculis abſterret pleroſque, quibus non ſatis eſt animi ad confirmandum, vel etiam ſi fuerit concuſſus, reſtituendum Numinis hono-

deinde iudicis ſententiâ probatur.

Reſtituitur Iuliana:

honorem. Humeros itaque iugo ceteri ſubducebant, cùm felici quâdam neceſsitate, in Ioannem eum, cuius ſuprà meminimus, ſuffragia omnia conſpirarunt. Fuit is ætate iuuenis, ſed ob innocentiam, virtutemque, tanto munere digniſsimus. Eo nomine Iulianæ carus erat; ſed maximè, quòd ad *Officium* iſtud elegans, & pium de feſto CORPORIS CHRISTI ſcribendum eius operâ Deus vti dignatus fuiſſet. Quare Iubens interceſsiſſet ipſa, quò tempeſtates orituras (nihil enim eam fugiebat, cùm diuinitus edoctam fuiſſe dixerimus) ab eo diuerteret. Verùm tamen, cùm neque ignoraret, quantum induſtriâ ſuâ, virtuteque ſplendorem Aſceticæ, quantos rei domeſticæ fructus, & quod omnium caput erat, quàm feliciter æternæ Maieſtati honorem reſtituturus eſſet; in eam cùm alijs ſententiam venit. Suſcepit ille munus, & exſpectationem Iulianæ nihil fefellit.

Priori Hoium ablegato ſubſtituitur Ioannes.

CAPVT XXXIV.

Reſtituta frequenti virorum, etiam Principum congreſſu celebratur, ex virtutis admiratione.

POſt obſcuriores tenebras, neſcio quid inſolentis, gratioriſque fulgoris præferre ſol videtur. & virtus, poſtquam hominum

minum maleuolorũ ſcelere labefactari viſa eſt, victrix aliquando tandem gratior emicat, atque in ſui admirationem, ſimul & amorem omnium animos potentiùs rapit. Ita Iulianam altiùs extulerunt, quàm depreſſerint tempeſtates. Atq; primùm omnium eius oratorium, quod aduerſariorum diruerat furor, amœniori loco, ſalubrioríque Princeps ære ſuo reſtitui iuſsit. Verùm Ioannes de Lauſanâ, Martinianaque clauſa officium hoc amicitiæ ſibi non ſuſtinuerunt præripi, ſumptuque priuato conſtruxerunt. Sed latiùs quàm vnquam eius fama ſpargi cœpta eſt. Effecerunt enim aduerſarij, vt quæ domi ferme ſuis, pauciſque alijs erat nota; ab imperitâ quidem multitudine primùm impeteretur probris; ſed Epiſcopi ſententiâ cùm veritas eluxit, pleriſque iam aliter ſentientibus, opinione virtutis eſſet admirationi. Profectò quicumque virginem noſſet, oculoque mentis affectione prauâ non occupato inſpiceret, ante omnem iudicis ſententiam, nihil non honore, nihil in eâ non amore dignum cenſeret. Serena facies, & quaſi luce quâdam cæleſti coruſca, aliquid mortali amplius ſpirabat. Emicabat ex oculis modeſtia, ſimplicitaſque columbina, & neſcio quis puritatis Angelicæ ſplendor. Geſtus erat ad omnem honeſtatem compoſitus, adeòq; rarus, vt quidam virtutis amator eximius,

Sancta æmulatio pro reſtituendo Iulianæ oratorio.

Ea magis clareſcit.

Eximia morum compoſitio,

ſanctè

Digitized by Google

ſanctè ſolitus ſit aſſerere, totos triginta annos, eoque amplius, quibus cõtractam cum Iulianâ neceſsitudinem fouerat, corporis eius partem aliquam, nullâ ex cauſâ motam notare nunquam potuiſſe. Inceſſus nõ mollitie fractus, non leuitate præceps, ſed ſuaui grauitate, minimèque affectatâ temperatus. Corpus totum aſpectu ſolo, ſui venerationem, & amorem, ſed caſtum, ſed Chriſtianum excitabat. Si verò etiam audires, non minor erat linguæ gratia. Sermo rarus, & ad iuſtam rationis lancem expenſus, Diuina ſemper, ſed pari propemodum facundiâ tractabat. Admirabilem deniq; in omnibus conſtantiam, ſine vllo pertinaciæ næuo, ſui ſemper ſimilis, compoſque retinebat. Ex quibus omnibus certiſsimò quiuis conіectaret, quanta eſſet ſanctimoniæ vis in virgine, quæ notis adeò manifeſtis in hominum oculos incurreret. Sed clariſsimè pręſertim intelligebant ij, quos arctior cum Iulianâ neceſsitudo coniunxiſſet. atque vbi præcipuam illam virtutum omnium in eâ dignitatem, & admirandos in dies ſingulos progreſſus animaduerterant, aut etiam ad honeſtum amplectendum eius exemplis ſe ſenſerant exardeſcere; tum demum ad eam ventitare, colloqui, diſſerentem audire; de præſtantiâ virtutis, vtilitate, modoque eam conſequendi quærere, diſcere, nec vnquam fatigari. vt plerùmque non iam

& collocutio.

virginis oratorium, at celeberrimum, iuxtà ac ſanctiſsimum Philoſophi alicuius Chriſtiani licæum diceres: neque puderet viros Diuinarum, humanarumque rerum cognitione clariſsimos, eſſe virginis vnius auditores. Sed, quòd ad famam, & admirationē maiorem faceret non parum, accidit vt à nobiliſsimis Præſulibus Roberto Leodienſi, & Guidone Cameracenſi conueniretur. Quorum modeſtiam, & religionem hoc ipſo facto cùm miraretur, & amaret: ægrè nihilominus tulit hanc in ſe humanitatem, ex quâ honorem videretur in vulgus conſecutura. Euæ cōmendationibus id factum eſſe ſuſpicata, cùm ad eam fortè adijſſet: Niſi vetaret Diuina lex, inquit, idque pateretur arctior inter nos neceſsitudo, odiſſem ego te, quæ ad Principum aures meum immerentis nomen, famamque defers. Sed vniuerſorum Dominum, adeòque mundi totius Principem obteſtor, vt quantum apud homines venerationis, & gloriæ hoc congreſſu videor conſecuta: dedecoris, & infamiæ tantumdem ante diem extremum inuratur. Impetrauit: nouas etenim belli faces propediem accendet Orcus, ſanctæq; eius cupiditati materiam ſubminiſtrabit vberrimam. Verùm ô Iulianæ magnanimitatem nunquam ſatis deprædicandam! Nos animi magnitudinem eximiam arbitramur, ſi ad imaginariam noſtri nominis claritatem

vnde à doctiſſimis frequentatur,

adeòq; Principibus.

Mirandũ modeſtiæ ſtudium.

Aduerte.

Digitized by Google

tem per ardua quæuis, improbo conatu nitamur: atque aliquam honoris vmbram aſſecuti, gaudio triumphamus, noſtri non bene compotes. At ſi partam apud Principes viros, etiam ex virtute gloriam Iuliana deſpiciat; dedecus verò, infamiam, exilia, egeſtatem, & ſummas quaſque calamitates ardentiſsimè complectatur, quod animi robur, quam mentis altitudinem arbitrabimur? Nimirum hæc dulcia ſunt, & germanam in ſe magnitudinem continent, ex quo Maieſtas Diuina in exemplum illa ſibi aſſumſit, & ſuſtinuit.

CAPVT XXXV.

Epiſcopus ex voto Iulianæ feſtum nouum promouere velle ſignificat. nec tamen ab eâ monitus, petitione Remenſis Archiepiſcopatus abſiſtit.

SEu Iulianæ virtus omnium ore celebratiſsima, pondus iam, & autoritatem obtinuiſſet; ſeu Diuinæ Sapientiæ numen, & conſilium ſenſim, quod ſtatuerat, exequeretur: ventilatum tamdiu VEN. SACRAMENTI feſtum, felici tramite prouehi cœptum eſt. Plerique dudum ſapientiâ, dignitate, virtuteque præcipui, cùm nihil niſi rationi conſentaneum, ſanctiſsimumque perſpicerent in feſti huius ſanctione;

concordibus animis rem totam ad Robertum Epiſcopum detulerant, eoque rationibus plurimis contenderant impellere, vt Diuini conſilij totum id eſſe ad Eccleſiæ commodum, dignitatemque longè maximam, ſibi perſuaderet. Verùm quòd res adeò noua non temerè ſancienda videretur, præſertim quæ feminam præferret autorem, non admodum initio mouebatur Robertus; immo cùm Iulianam ſubinde viſeret, (non infrequens hoc ipſi fuit ob ſanctitatis opinionem) audiretque ſæpius copioſè diſſerentem, de incredibili illâ Diuinæ pietatis in hominum genus beneuolentiâ, quâ ſe præſentem in terris *vſque ad conſummationem ſæculi* ſiſtere dignaretur, ad inſtar tutiſsimi aduerſus omnem vim hoſtium aſyli: eâque ex causâ gratiſsimum æternæ Majeſtati futurũ, ſi quas poſſent maximas, & immortales gratias referrent mortales, atq; etiam feſtum diem vouerent nouum, qui certiſsimam hominibus omnibus ſalutem, Diuinoque nomini honorem maximum procuraret. Cùm cetera, quæ à Iuliana dicerentur, æquiſsimis auribus, ceu indubitata admitteret; ad hæc ita frigebat, vt, ſe quidem ita opinari, dicis causâ reſponderet. Factum eſt porrò, vt totam hanc cauſam adhuc dubiam erigeret admodum, & confirmaret, mirificus quidam è cælo fauor in Robertũ deriuatus. Quis ille fuerit, nihil am-

Epiſcopus primò Feſtum nullo modo probat,

ſed accepto diuinitus beneficio, ſententiã mutat.

ampliùs habemus. Hoc ſatis conſtat, reuerſum aliàs ad Iulianam Principem, vltro vultu, voceque ſereniori dixiſſe; Quod in me, Iuliana, Deus beneficium contulit, quo ſanctiſsimam ſuam voluntatem, & decretũ de indicendo Sacroſanctæ EVCHARISTIAE feſto nouo aperiret, iſtud apud me effecit, vt iam non opiner modò, quod anteà reſpondere tibi ſolitus eram; verùm omnino mihi perſuadeam, animumque prorſus inducam credere, ad Diuini nominis gloriam, hominumq; rationes conducere plurimùm, vt annuo, ſolemnique feſto, auguſtiſsima CORPORIS DOMINI myſteria veneremur. Quanto Iulianam gaudio hæc Principis oratio perfuderit, meliùs ex ardentiſsimo eius deſiderio quiſque poterit æſtimare, quam verbis explicare poſsim. Ceterùm quò in religioſam hanc Epiſcopi inclinationem gratitudinis aliquid refunderet, cùm non ignoraret, quo ambitu ad Remenſem Archiepiſcopatum adſpiraret, amicè pro familiaritate mutuâ, ſed & modeſtiſsimè rogare cœpit, Contentus ageret ampliſſimo munere, quod è munificâ Numinis manu Leodij obtineret. Operæ non eſſe pretium contentione tantâ, ſpe ſeſe inani lactare. Cùm ergo certiſsimum eſſet, ad Remenſem Pontificatum nunquam peruenturum, laboribus parceret ſuperuacaneis. At cœcutiunt ambitioſorum animi, cetera oculatiſsimi.

Monetur vt abſiſtat petitione Remẽſis Archiepiſcopatus:

fruſtra.

culatiſsimi. Et Robertus, quanquam Iulianæ ſanctitati tantùm tribuiſſet, vt in omnibus non minorem, quàm oraculum aliquod, apud ipſum inueniſſet fidem, ceu ſurdo caneret, non audiuit, neque cœptis abſtinuit.

CAPVT XXXVI.

In Synodo diœceſanâ feſtum Robertus iam decreuerat; cùm lethali morbo correptus, ſacroſanctum tamen Officium coram ſe peragi vult; & moritur; non præter Iulianæ mentem.

EFferueſcebat in dies Epiſcopi ſtudium, ad amplificandã Diuini huius SACRAMENTI gloriam, & eâ iam erat ſententiâ, vt æterno Numini gratius nihil, nihil ad commune Eccleſiæ ſuæ bonum, & dignitatẽ potius exiſtimaret, quàm ſi cultu proprio, eoque auguſtiſsimo, dies ſanctiſsimo CHRISTI CORPORI conſecraretur. Neque diutius animo poterat ardorem concludere; ſed teſtari publico, autoritateque ſuâ confirmare ſtatuit. * Indicto ordinis Eccleſiaſtici conuentu, quem Synodũ Diœceſanam appellamus, poſteaquam multis fuiſſet probatum, ad Diuini nominis gloriam, Eccleſiæque Leodienſis bonum conducere plurimùm, ſi huiuſcemodi ſacrum imperaretur; ſuam denique mentem aperuit Epiſcopus, edictumq; propoſuit, quo, vt

32. *In Synodo Epiſcopus Feſtum ſancit,*

vt id fieret in poſterum, decernebat. Atque vt nemo vſquam de eius imperio dubitaret, litteras conſcripſit diſertiſsimas, quarum exemplum ſubijcere viſum eſt, ex peruetuſto M. S. codice, qui in S. Ioannis Baptiſtæ Leodij ſeruatur. *& decreto confirmat*

Robertus Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, dilectis filijs in Chriſto Abbatibus, Prioribus, Decanis, Presbyteris, ceteriſq; Eccleſiaſticis perſonis in Leodienſi Diœceſi conſtitutis, ſalutem, & plenitudinem gratiarum.

INter alia mira, & mirabilia admiranda, quæ Mirabilis in altis Dominus noſter fecit, illud eſt præ ceteris mirabilibus excellentius memorandum, in quo ipſe ſe dedit timentibus ſe in eſcam: & hoc eſt illud CORPORIS SVI SACRI *ineffabile Sacramentum, quod nobis tanquam memoriale mirabile, & delectabile dereliquit, vt illud memoriale præſentaret noſtræ memoriæ, memoriabile noſtræ intelligentiæ, & delectabile voluntati. Quod beatus ille Dauid eximius Prophetarum, in quoddam myſteriorum promptuarium ſpiritualiter introductus, ſic cecinit gratulando: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Et ſi ipſe, qui teſtamenti ſui in ſeculum memor erit, ſuorum mirabilium futurorum, etiam antequam illa faceret, memor fuit, & poſtquam illa ſanctiſsimo opere ſtabiliuit memoranda, iterum repetiuit, dicens: Hoc quotieſcunque*

tieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis; non debet reprehenſibile iudicari, ſi nos, qui ſumus labilis memoriæ, vltra illam quotidianã memoriã, quæ de dicto admirabili SACRAMENTO *quotidie agitur in altari, ad confutandam hæreticorum inſaniam, ſtatuamus, vt ſemel in anno hoc pretioſum, & Venerabile, atque indicibile* SACRAMENTVM, *ſpecialiùs, ac ſolemniùs, quàm quotidianis diebus, ad memoriã cunctis fidelibus reuocetur. Arbitrantes dignum eſſe, & iuſtum, æquum, & ſalutare, quod cùm Sancti, quorum in Litaniis, Miſsis, ac aliis ſecretis orationibus, memoria quotidie in Eccleſiâ veneratur, nihilominus ſemel in anno ſingulariter habeant feſta ſua, in quibus eorum merita ſingulariùs recoluntur; ipſum etiam, quod eſt ſanctum ſanctorum, dulcedo omnium dulcedinum, in terris ſolemnitatem habeat ſpecialem, ad referendum ſpecialiſſimas, & permaximas laudum, & gratiarum actiones* Domino Deo *noſtro, videlicet ſuper eo, quòd ſe nobis propter puriſſimam, & inenarrabilem, atque inæſtimabilem charitatem ſuam mirabiliter quotidie exhibet in altari, qui in hac mirabili exhibitione ſuâ non ceſſat, nec ceſſabit adimplere illã ſuam dulciſſimam promiſſionem, quam pollicitus eſt, dicens:* Ecce *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi; memor cuiuſdam verbi ſui, quod eſt,* Delitiæ *meæ ſunt, eſſe cum filiis hominum. In quâ etiam ſolemnitate cautè, & ſollicitè poſſit ſuppleri, quidquid de ipſius memoriâ,*

moriã, ab his quotidianis diebus incautè, & inſollicitè, & negligenter eſt prætermiſſum. Quis enim fidelium dubium habere, poßit, digniſſimã hanc ſolemnitatem fore ad honorem Dei, & augmentum deuotionis, Fidei Chriſtianæ, & Spei, atque Caritatis, necnon & ceterarum virtutum, & ad profectum electorum Domini noſtri IESV *Chriſti multiplicem? Cupientes igitur hæc commoda gregi nobis commiſſo euenire, & humanam negligentiam ad ſupradictas gratiarum actiones repetendas excitare, ſtatuimus, vobiſq; præcipimus inuiolabiliter obſeruandum, vt de præfato excellentiſſimo* SACRAMENTO, *ſingulis annis feriâ quintâ proximâ poſt octauas* TRINITATIS, *feſtum ſolemne, cum nouem Lectionibus, & Reſponſorijs, Verſiculis, & Antiphonis proprijs, quorum vobis copiam faciemus, in ſingulis Eccleſiis Leodienſis Diœceſis, de cetero perpetualiter celebretis, & celebriter obſeruari, ab omni ſeruili opere vacando, tanquam diem Domini, etiam nuntietis. & ſubditis veſtris annuatim, in veſtris eccleſiis Dominicâ præcedente, publicè in remiſſionem ſuorum peccaminum iniungatis, vt omnes deuotè ieiunent in vigiliâ prædictæ ſolemnitatis, & orationibus, vigilijs, & eleemoſynis, & alijs bonis operibus, ſe interim ſtudeant præparare, vt eſſe poßint participes illâ die dulciſſimi* SACRAMENTI, *ac illud, qui parati fuerint, & probati, & quorum tetigerit Deus corda, non de neceßitate, ſed de honeſtate recipere (ſi velint) valeant cum ſalute. Quatenus*

nus & Deus, & Chriſtus eius, hac ſpeciali memoriâ, & his ſacrificijs placatus, mundo ex diuerſis caſibus naufraganti, dignetur oſtium ſuæ clementiæ aperire. Præſentes autem litteras vobis tranſcribatis, & tranſcriptum earum penes vos reſeruetis. Dat. anno Domini M. CC. XL. VI.

Hactenus Robertus; qui quemadmodum in ſe receperat, Canonicum quod vocant *Officium*, auſpicijs Iulianæ feliciter, vt ſuprà monuimus, ſcriptum, in exemplaria fermè vicena tranſcribi mandauit, quæ in opportuna per diœceſim loca diſtribueret.

33. * Sed ei huc vſque permiſſa ſunt iſta: ſanctum eius ardorem in cælis à Deo compenſatum ſperare fas eſt. Ceterùm ipſe morbo lethali correptus, eò breui deuenit, vt ſalus eius depoſita cenſeretur. Nec tamen abſtinuit pio propoſito: verùm adſtantes quàm potuit ardentiſsimè adhortatus eſt, vt exéplum ſuum ſecuti, induſtriam omnem, omne ſtudium, & autoritatem ſuam optimè collocatam exiſtimarent, in cultu ſacroſancti EVCHARISTIAE Sacramenti promouendo; quem tanto ipſe ardore curaſſet, eratque ſtudioſiùs deinde curaturus, niſi molientem mors occupaſſet. Quod vt teſtatius faceret, & quà licebat, pio mentis ardori faceret ſatis, in conſpectu ſuo nouũ de auguſtiſsimo Myſterio *Officium* celebrari voluit. Ac tãdem poſt vltimum agonem

Morti proximus Princeps adſtantes hortatur:

Officio nouo ante ſe celebrato,

in armis Chriſtianis feliciter decertatum, ad meliorem vitam abijt 15. cal. Nou. anni milleſimi ducenteſimi quadrageſimi ſexti. Interea loci auditam Principis mortem Eua Iulianæ nuntiauit per famulam; quam cùm vidiſſet Iuliana: Non vt ſæpe aliàs, æquè læta modò nuntias, ait. Immo verò funeſta, inquit illa: diem obijt extremũ Epiſcopus. Sciebam equidem: ſubiungit Iuliana. Etenim eodem hoc anno tertiùm monita erat diuinitus, de proximâ eius morte, ſub orationem. Ac primò quidem, & ſecundò audire viſa eſt his vocibus euocantem: *Roberte Epiſcope.* & tertiò etiam addentem *Roberte Epiſcope morere.* Quæ quidem cùm diuerſis temporibus accepiſſet, illudi ſibi credidit. Donec tandem ſub ipſam eius mortem, cùm fortè in preces incumberet, ſpecies aliqua Roberti quàm ſimillima ſe videndam exhibuit, & velut in tranſitu, ſupplici voce dixit; Ora. At quis tu? inquit Iuliana. Reſpondet: Epiſcopus Robertus ego ſum. Quibus illum obijſſe intellexit. Quod eo magis mirere, quo longiùs aberat Leodio Robertus. Foſsis etenim vitâ defunctus eſt. Foſſæ oppidum eſt agri, Diœceſiſque Leodienſis, Moſam inter & Sabim, milliari tertio & decimo ab vrbe ſitum: quod profectò non exiguam ex hac hiſtoriâ gloriam refert. Hoc enim anno 1246. primùm omnium Foſsis, quanquam

ſanctè moritur:

Iulianâ iam præſciente.

Foſſenſis oppidi laus.

Digitized by Google

priuatim, celebratum eſt officium VEN. SACRAMENTI: atque mox obijt magnus idem Præſul Robertus, qui publicâ, Pontificiâque autoritate feſtum CORPORIS CHRISTI primus in orbe Chriſtiano probauit, & ſanxit. Nobilitabuntur denique poſt decennium Foſſæ hoſpitio ſanctiſsimę virginis Iulianæ, quę prima ſecundũ Deum eiuſdem feſti autor, varijs locis ſeptimùm, octauùmq; profuga, tandem hîc conquieſcet, annoque demum milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octauo, laborum Dei nomine toleratorum mercedem acceptura, migrabit in cælum. Ceterùm Roberti corpus elatum eſt Alnam, nobiliſsimum diſciplinæ Ciſtertienſis aſceterium ad Sabim. Sed Claram-vallem deinde tranſportatum eſt, & ante aram S. Andreæ ſacram ſitum. Ita quondam expetierat, cùm Eccleſię Lingonenſi præeſſet. iſtius enim Ordinis amantiſsimus fuit. Et verò illud ab eo impetrauit, quo de fortiſsimo martyre Lamberto, Eccleſiâque Leodienſi optimè meritus eſt: nimirum vt glorioſi martyris & Epiſcopi diem feſtum vbiq; gentium Ciſtercienſis ordo celebraret. Quæ quidem commemorare non exiſtimaui ab inſtituto alienum; cùm ſuus ei honos meritò dandus hîc videretur, qui primos feſto CORPORIS CHRISTI honores decreuit.

Robertus de Eccleſiâ Leodienſi optimè meritus.

CA-

CAPVT XXXVII.

Obtinet Eua Roberti decretum à Martinianis Canonicis recipi. qui omnium primi feſtum CORPORIS CHRISTI *celebrant, ſingulari Iulianæ ſenſu.*

CEterùm Epiſcopi quidem ſparſum erat per totam diœceſim de feſto nouo decretum: nihilominus quòd plurimorum, ſaltem primatum, alieniores adhuc eſſent animi, cum Roberto ſimul tota vis decreti corruit. Eua pro autoritate, quam apud Canonicos Martinianos iam diu ſanctitatis nomine collegerat, cùm ardentiſsimo huius feſti flagraret deſiderio, quà conſilio, quà precibus inſtitit, vt Epiſcopi ſui ſuſciperent imperium: nullam obedientibus inuri poſſe notam, quanquam ceteri reclamarent: æterni Numinis gloriam, ſalutem hominũ agi, compertum eſſe: glorioſum etiam ipſis futurum, ſi fortaſsis olim inſtituto tam nobili initium dediſſe ferrentur. Impulit profectò in ſuam ſententiam; non parum adnitente, vt mihi perſuadeo, Ioanne de Lauſanâ, pro ſuo in Diuina, ſanctaſque virgines Iulianam, & Euam animo. Igitur vnanimi Canonicorum Martinianorum conſenſione, anno à Virginis partu milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, quintâ,

Robertì morte decreti vis concidit:

Eua tamen à Canonicis Martinianis ſeruarî impetrat.

qui primê omnium Feſtum CORPORIS CHRISTI *celebrant.*

Digitized by Google

tâ poſt Dominicam TRINITATIS feriâ, Leodij in monte Publico, ædeque S. Martini, nobiliſsimum ſacroſanctæ EVCHARISTIAE feſtum, priùs quàm vſquam gentium, religioſiſsimè celebratur. Quis Iulianæ, quis Euæ fuerit animi ſenſus, non opinor poſſe quenquam explicare. Sollicitus tamen aliquis timor Euæ gaudium temperabat. Etenim ex ampliſsimâ Diœceſi vnicum Canonicorum collegium Epiſcopi decreto parebat: ceteri omnes detrectabant; exſibilabant etiam plerique. Querebatur ergo apud Iulianam aliquando, ſuumque illum pandebat timorem: cùm inconcuſſo nixa Veritatis æternæ fundamento Iuliana reſpondit: Inanem iſtum, Eua mea, timorem pone: ſolidiora ſunt, quę ſemel Numinis prouidentia ſtatuit, quàm vt homulorum arbitrio conuelli valeant. Erit aliquando, ne dubites; erit tempus, quo non vnum S. Martini Collegium, non hæc vna ciuitas, non Diœceſis vna Leodienſis, quanquam ampliſsima, ſed vniuerſus quaquà patet orbis Chriſtianus Diuinum hoc amplectetur inſtitutum, religioneque ſummâ venerabitur. Renitetur quidem, & totis obſiſtet viribus dæmon; ſed omnes eius in caſſum recident conatus. Quàm veritati ſint hæc conſentanea, teſtamur omnes. Ceterùm profiteri ſolita eſt ipſa, præcipuo quodam amore Sanctum ſe Martinum venerari,

Timet Eua rerum mutationem,

ſed à Iulianâ futuri præſciâ recreatur.

Iuliana ſingulari amore colit Sanctũ Martinum.

nerari, quatuor potiſsimùm ex cauſis. Primùm quòd in æde ipſi ſacrâ dies feſtus ſacratiſsimæ EVCHARISTIAE honori decretus, publicè primùm celebratus ſit. Alterum eſt, quòd ſancto eidem Antiſtiti, dum mortales inter ageret, olim ſacienti de cælo viſus ſit illabi Spiritus Sanctus per igneæ ſpheræ ſpeciem. Tertiò quòd Eua ſodalis eius ſuauiſsima, ad eiuſdem ſancti Epiſcopi templum, quaſi ſub illius fide, ac tutelâ, ſedem haberet. Ac denique quòd ipſamet in calamitatibus ſuis vnicum ibidem aſylum inuenerit. Quibus omnibus vti facibus Iulianæ amor inflammatus in S. Præſulem, in has aliquando voces, ceu ſcintillas erupit: S. Martinus, Eua mea, mihi tam carus eſt, ac ſuauis, vt orbis vniuerſus eius perfundi, ac condiri ſuauitate videatur. Verùm, quæ eſt humanarum rerum viciſsitudo, ac veluti lex à Deo ſuis amicis poſita, pacem hanc, & lætitiam minimè diuturnam, turbo mox oriturus diſcutiet.

CAPVT XXXVIII.

Noua turbæ. Sceleratorum factione reuocatus ab exilio Prior reſtituitur; & noua ſurgit tempeſtas.

MAgnum * Iulianæ præſidium, quod in Principis autoritate ſitum erat, ſimul cum ipſo conciderat vniuerſum. Fa- 34.

miliares

miliares virginis aduerſarij, quos in officio Præſulis metus continuerat, eo mox ſublato ſceleratas ſpes erigere cœperunt: ſed hoc ardentiùs, ac turbulentiùs, quo diutius, vique maiore ſibi factâ, odium animis compreſſerant. Laxatis itaque iam repagulis, primùm omnium Hoio reuocant eum, cui Prioris munus, Epiſcopi ſententiá memimimus abrogatum. Et ne præcipites in agendo viderentur; priuatum agere domi primùm iuſſerũt. Hunc verò, qui ſapienter, & ſtudiosè rem non minùs familiaré, quàm aſceticam adminiſtrabat, bono eorum maximo, quibus animæ ſalus, Deique gloria cordi eſſet, à ſuſcepto munere reiecerunt, nullâ causâ, niſi quam libido, ſcelerataque libertas prætenderet. Suffecerunt è Præmonſtratenſi diſciplinâ virum aliquem religioſum (Cornelij montem Norbertini tum occupabant, quem hodie Carthuſienſes) quo diſsimularent prauas artes ſuas. Verùm Iulianam nihil fugiebat iſtorum, intelligebatque ſatis nouas in ſe procellas excitari: Nihil igitur omittebat, quod ad rem *in Domino* confirmandam facere exiſtimaret. Atque in primis innocentiſsimum illum hominem, qui propter rem prudenter, ſanctèq; in paucis adminiſtratam, contra ius omne, faſque munere ſuo pulſus, omnium primus impetebatur, monere, & adhortari non deſtitit, infracto animo aduerſa-

Exactus Prior à factione reuocatur

Ioanni Priori Iuliana dat animos.

uerſariorum iniurias ſuſtineret: & quanquam eorum violentiâ Pręſidis locum alius occupaſſet, legitimum tamen ſe Præſidem ſemper ſciret, & verò gereret: id iuſtitiam poſtulare: ita ſemper egiſſe, cum tuliſſet occaſio, pleroſque, qui modò inter Superos beati, ſuis nos exemplis ad eadem inuitant præmia: ſolemne id fuiſſe glorioſo athletæ S. Lamberto, quem potiſsimùm ducem è Cælitibus ſequi Leodienſes, & æmulari debeant; celebres de illo verſus eſſe, concini ſolitos; quos animo ſi frequenter volueret, fructus colligeret non exiguos: *Exemplo S. Lamberti.*

Fortis in aduerſis, humilis per proſpera pacis,
Nec terrore teri potuit, nec munere frangi.

Sodales verò ſuas ęquitatis, & partium ſuarum ſequaces, quo turbines venturos generoſiùs exciperent, intelligerentque ſitam in arduis eſſe virtutem, quæ vnius Dei amorem, præmiaque exſpectat; egregiè, fortiterque dictis, & factis Sanctorum obfirmabat. Ceterùm longa eſt omnis ſceleri mora: neque iam diutiùs conceptum animo virus continere poterant aduerſarij Iulianæ; ſed euomunt tandem, exulemque Hoienſem Prioris muneri ſacrilegè reſtituunt. Ad Iulianam poſthæc concurrunt, rident, inſultant: hunc eius eſſe Præſidem inclamant, huius dicto audientem eſſe debere. Quod cùm Iuliana fortiter, & modeſtè pernegaret: tam durè illis id cecidit, vt ſubito furore

Reſtituitur Simoniacus Prior,

cui Iuliana recuſat parere.

rore perciti, lapidatione ſactâ in virginis oratorium ſæuire cœperint. Futuri belli hoc inſonuit claſsicum.

CAPVT XXXIX.

Cùm fortiter Iuliana pro domo Dei ſtaret, rurſum deſtruitur ab aduerſarijs eius habitatio: & quomodo id tulerit.

NOta erat hoſtibus autoritas, quâ polleret Iuliana apud optimates omnes, qui virtutem eius neſcire non poterant, & venerabantur. Eius vnius effectum ſtudio meminerant, vt qui ſacrilegis artibus ſupremam ſacræ domus adminiſtrationẽ coẽmerat, in exilium priuatus ageretur. Hunc modò ratione non multò, quàm antè, ſanctiori reſtitutum, perſpiciebant loco non eſſe tutiſsimo, quamdiu vel Iuliana manus non daret, eique ſe parituram profiteretur; vel in communi cum cæteris habitatione conſtaret. Verùm fortiſsimam virginem gradu dimouendam cùm deſperarent, eius experti iam conſtantiam; domo quàm longiſsimè pellendam cenſuerunt. In hanc & ipſe Prior ſententiam venit: vnanimique conſilio conſpiratum eſt, vt quod iure non poſſent, impetrarent iniuriâ. Omnibus itaque viſum eſt, tam graues in virginem innocentem inimicitias ſuccendere, tam continuas,

Aduerſarij in Iulianæ exilium conſpirant,

& cũ his Simoniacus.

Digitized by Google

tinuas, & atroces proceſſas excitare, omnemque animi pacem, quà poſſent, & tranquillitatem adimere, vt aliquando tandem ipſa domo cedere cogeretur. Auxilia fuere conquirenda. Plebs ad manum erat, vt ſolet, turbulenta, furorem potiùs, quàm rationem ſecutura, vbi animos ſemel occupauit aliqua imminuendi iuris ſui, vel libertatis vmbra. Ad eam & hi proniùs confugerunt; & ipſa plebs faciliùs concitari ſe paſſa eſt, quòd ex priori ſçelere, communis iam, & publica cauſa videretur; cùm maximè Reſp. Leodienſis vniuerſa tum temporis ciuilibus diſsidijs arderet. Fortè igitur frequentes die quodam aderant ex infimâ plebe ſeditioſiſsimi quique, certatimq; ore impio, latens animo virus in ſanctiſsimam virginem egerebant: aptiſsimam igni concipiendo materiam rati, qui è domeſticis Iulianam perſequebantur; ijs ſe adiungunt: & de-ſubito flamma emicuit. Nouo clamore ſublato, lapidatione primùm ſæuiunt; & & cùm lentiùs id procederet, ad manus veniunt; clauis, malleis, ſecuribus inſtructi, effringunt omnia, euertunt, diruunt, ſolo æquant. Vix tempori fuerat erepta periculo Iuliana, & à ſodalibus in commune omnibus dormitorium recepta. Quod cùm intelligerent furioſi illi homines, in eum locum rabiem conuertunt, & diſiectis ruderibus, materiæq; diſsipatę fragmentis, quantâ

plebs ab ijs concitatur:

Iuliana oratoriũ euertit.

Digitized by Google

vi poſſunt aggrediuntur. Sed Numinis vindicem manum ſenſit, qui ſe præbuerat ducem,& vim primus fecerat;vulnus enim accepit, quod curare, quoad vixit deinde, nunquam potuit. Grauiter tulit oratorij ſui euerſionem Iuliana: teſtataque eſt ſæpius, ſi conſtruere denuo non liceret, nullum eſſe tam grande pretium, quo tantam non voluiſſet iacturam redimere, modò ſine ſcelere potuiſſet. Aëris enim, locique ſalubritati tribuebat, diutius ſuſtentatam infirmi corporis valetudinem, per quam licuiſſet adhuc cum Iſabellâ familiari ſuâ præter Canonicas penſi quotidiani preces, in ſingulos dies addere Pſalterij totius lectionem, ad ſubleuandas piorum hominum animas purgatorijs ignibus detentas. Hoc autem ſubſidio valetudinis deſtitutam ſe poſſe perficere deſperabat. In hacce nihilominus tam graui iniuriâ, dum inferretur, tantam æquitatem animi ſeruauit, vt nullum ex eâ verbum aſperius, aut vindictæ cupidius auditum ſit. Verùm cùm atrociſſimè ſæuirent hoſtes, omniaque diruerent, tum ipſa maximè ſupplex apud Diuinam Majeſtatem, meritam omnem pro eorum ſcelere pœnam deprecabatur. Argumento nimirum certiſsimo probabat eius ſe ſponſam eſſe amantiſsimam, qui dum figeretur Cruci, Patrem æternum pro aduerſarijs exorauit.

Ipſa pro aduerſarijs orat.

Ca-

CAPVT XL.

Odio hoſtium ingraueſcente, cedit: & inſtante peruicaciùs aduerſario, nuſquam conſiſtere permittitur, dum patriā tandem abeat. Eius in aduerſarios pietas.

SOlitam in recto conſtantiam tenebat Iuliana, parata priùs quidlibet perpeti, quàm ab honeſto vel latum vnguem diſcedere. Quare neq; argumentis, vt quæ nullam fidem facere poſſent, neque minis, neque verò grauiſsimis vnquam iniurijs inducendam ſe affirmabat, vt eum agnoſceret Præſidem ſuum, qui contra fas in id muneris irrupiſſet, eo turpiſsimè pulſo, cui ſecundum leges commiſſa eſſet adminiſtratio. Statuit igitur loco cedere, quandoquidem de odio nihil remitterent aduerſarij; ſed quòcumque pergeret ipſa, graui lapidatione perſequerentur. Audito hoc eius conſilio, nulla fuit è ſodalibus virtutis paulò ſtudioſior, quæ Iulianam, eiuſque cauſam, veluti iuſtiorem, quòcumque duceret, ſequi dubitaret. Illa cùm tantum comitatum non exiſtimaret in incertum trahendum, (quò namque ſe reciperet ignorabat) paucas ſelegit, ad omnia Chriſti nomine fortiter toleranda priùs adhortata; ceteras, quæ animis paratiores videbantur,

Sibi conſtat Iuliana.

domoq́ mavult cedere, quàm iure ſuo:

è multis ad fugam paratis tres deligit.

 domi

Digitized by Google

domi manere iuſsit. Diuellitur ergo à chariſsimis ſororibus magno doloris ſenſu Iuliana, fortiter latura Numinis amore quaſuis calamitates. Cumque omni deſtituta commeatu proficiſceretur, ac quæſitum eſſet ex eâ, quâ demum ſpe, hoc conſilij capeſſeret: ſuas omnes in Deo ſpes habere ſitas, aiebat: quo iuuante, ſi res ferret, binæ è comitibus validiores, oſtiatim ceteris victum emendicarent. Primum ei refugium fuit in domum *Roberti-montanam: Aſceteriũ eſt diſciplinæ Ciſtercienſis in monte ſitum, non procul à Corneliano Cœnobio, orientem verſus. Sed breuis hîc quies conceſſa eſt: adfuit mox aduerſarius, is qui ſe Priorem ferebat; & quà oblatrando, quà mendacia fingendo impudenter, quà pacem turbando, abire compulit in * Vallem-benedictam: Ciſtercienſis item virginum familia eſt, in aduersâ Moſæ ripâ, ſupra Leodium, inter eius ſuburbana. Sedem hoc erat mutare dumtaxat, non ab vrbe longiùs diſcedere: quod tamẽ vnum ſpectabat aduerſarius, cùm è propinquo non minùs timeretur, quàm præſens Iuliana. Omnibus igitur machinis etiam inde miſerandam virginem hoſtis exturbat. Ciſtercium ei cordi fuit. tertium eiuſdem inſtituti gynecæum adit, quod propter vrbem Hoienſem, *Vallem noſtræ Dominæ nuncupant: admiſſa eſt. Sed quicumque cæli gratiam ſectaris, ani-

omnem in Deo ſpem reponit.

35. *Secedit in Roberti-montem,*

36. *hinc ad Vallem-benedictã*

37. *ac tertio ad Vallẽ-noſtræ-dominæ.*

animaduerte quo beneuolétiæ genere ſuos Deus proſequatur, & ad ſe deducat. En homo ſacrilegus ſponſam Chriſti innocentiſſimam, quam domo propriâ ſe proripere compulit, quam ſecundò eiecit alienâ; ecce tertiò ſolitis artibus hac domo, ſimul & patriâ exterminat. Mirabitur hìc fortaſſe quiſpiam, vnde tantùm animi, potentiæq; viro factis, adeòque ſententiâ Principis infami, vt virginem ſanctitatis opinione notiſsimam, non ciuitate modò, verùm etiam ſacris Religioſorum ordinum familijs exturbârit. Sed conſulantur, ſi placet, ſcriptores illorum temporum; & iuuenilis deprehendetur Henrici Geldri Principis animus, non admodum ad Epiſcopatum factus, qui grauibus Imperij, familæque ſuę negotijs diſtractus, in res Leodienſes pro munere non ſatis incumbere poſſet. Orta deinde inter Leodienſes diſsidia, ſceleratiſsimis quibuſque, vt ferè fit, omnem licentiam permiſere; immo & eorum iniecere terrorem bonis omnibus; cum in armis quotidie volitarent per agrum Leodienſem variarum vrbium factiones: à quibus non leue diſcrimen ijs imminebat, qui factioſorum aliquem viſi fuiſſent offendere. Hæ fuerunt ætatis illius calamitates, quæ optimos quoſque, & recti, patriæque ſtudioſiores inuoluerent, & in agris paſsim, & in ipsâ ciuitate mediâ: cum direptiones, ruinæ,

Aduerte.

Aduerſarijs animos faciebant ciuilia diſſidia.

Digitized by Google

ruinæ, incendia, cædes, impunè his ſeditionibus perpetrarentur. Quibus facilè factum eſt, vt amicorum nemo, nullaque religioſa familia, contranitentibus ſceleratis illis, turbulentiſsimiſque hominibus, Iulianam in fidem recipere auderet. Ceterùm his in calamitatibus æquam non modò mentem ſeruauit, verùm eò germanæ caritatis etiam progreſſa eſt, vt mortem ſibi vehementer optaret, ſi vel minimùm ad æternam aduerſariorum ſuorum ſalutem conduceret. Adeòque quærenti aliquando cuipiam, quî fieret, vt ita ſtudioſè apud Deum eorum ageret cauſam, à quibus tam indigna toleraret, reſpondit: Ego verò, vt ad cæleſtem beatitudinem olim ipſi pertingant, perlubenter mortem obibo, quanquam nullum mihi commodum, gratiamque apud Deum eſſem comparatura; redituraque deinde ad vitam, vt tum demum meâ causâ, communi omnibus mortalibus lege perfungerer. Sanè animus is eſt in virgine, non dicam virilis, at heroicus, omninoque Chriſtianus.

Inter hæc æquiſſimus perſtat Iulianæ animus.

Digitized by Google

CAPVT XLI.

Sponſæ ſuæ cauſam Deus ſuſcipit, Leodiumq́; horrendâ clade caſtigat.

EXilium heu infelix! non equidem Iulianæ, cui gratius accidere nihil poterat, quàm Chriſti nomine, atrociſsima quęque ſuſtinere: deſideranti verò ac amanti leuia ſunt, & iucunda, quæ ardua, grauiſsimaque alius quiuis exiſtimaret. Exilium nihilominus ô ter infelix ciuitati, adeòque ditioni vniuerſæ Leodienſi! quæ illuſtrem tantâ ſanctitate virginem, indigniſsimis obruerit calamitatibus: quæ tantum decus ſuum, quo iam libenter gloriatur, finibus ſuis pepulerit: quæ ciuem ſuam in externo ſepultam videt, cuius ſacrũ corpus ſolemni pompâ, feſtoque omnium ordinum comitatu, per celeberrima vrbis loca, & templa hodie vellet circumferre. atque vtinam circumferat aliquàndo; maiorumque impietatem luere deſinant minores; vt quo habita eſt indigniùs, eodem loci pro merito glorioſiùs triumphet! Ceterùm ſera eſt hæc, & in poſteros vltio. Sua etiam, nec leuis incubuit in eos ipſos, qui impietatem admiſerant. Etenim ſub idem tempus, quidam cum fortè ſurſum in nubes oculos intenderet, ingentem aduertit imminentem *Horrendo viſo clades ingens portenditur.*

 vrbi

vrbi clauam, quæ horrendè in ictus repetitos ſæpius vibrata, cladem minitari funeſtam videretur: Territus is hoc portento, & quodam perculſus horrore, ſupplex ad Deum ſe conuertit, vt quid hoc viſo portenderetur, aperiret. Extemplo vocem hāc ad ſe demiſſam ſenſit: Propter iniurias Iulianæ irrogatas, duro flagro Leodium vniuerſum cædetur. Nec fefellit euentus. Breui poſt haſce minas, inter Henricum Gueldrum Præſulem deſignatum, & Populum Leodienſem graue diſſidium exarſit; occupauitque præcipua quæuis oppida, quà latiſsimè tum patebat Diœceſis tota, nondum in anguſtiores contracta fines, à pluribus Epiſcopatibus in Belgio nuperrimè conſtitutis. * Quàm miſerè lacerata ſit hiſce tumultibus, & bellis reſp. nemo poteſt ignorare, qui rerum Leodienſium notitiâ vel mediocriter imbutus ſit. Certè inſignis eſt calamitatibus totus Henrici principatus. Quanta verò fuerint inſimul priuatorum mala, fidem penè ſuperat: niſi teſtaretur diſertè noſter Autor, in hunc ferme modum. Adeò communem omnibus cladem manus Dei vindex inflixit, vt immunem fuiſſe quempiam non facilè crediderim. Nemo cuiuſuis ordinis, ſacri, aut profani, nullus melioris, infimæque conditionis, non vir, non femina, ex ampliſsimâ ciuitate omne malum euaſit. Vbique domus

Cõtinuata diſſidia Leodium atterunt.

38.

euerſæ;

euerſæ; diuites ad humilia, ad incitas redacti mediocres; direptiones, latrocinia, populationes, cædes, ſtrages. Ex quibus profectò iuſtitiæ Diuinæ ſententiam admirari licet, quæ impios pro meritis acerrimè caſtigauit, nec tamen iniurias propulſauit à cariſsimâ ſponsâ. Vt conſtaret nimirum, & nullam eſſe ſceleratis hominibus impunitatem; & aduerſa iuſtis cedere in gloriam. Redeamus ad Iulianam.

CAPVT XLII.

Namurcum venit Iuliana, viuitq́ in magnâ egeſtate. item ſe, ſuasq́ ſubijcit Antiſtitæ Salſiniensi.

ACerba virgini innocentiſsimæ neceſſitas incumbebat. E patriâ fugiendum erat. rerum ad fugam, exiliumque neceſſariarum ſuppetebat nihil. Tres ſecum è ſodalibus trahebat; Iſabellam, (Hoienſem illam opinor, arctâ virtutis neceſsitudine cõiunctiſsimam) Agnetem, (fueritne hæc Iulianæ ſoror? nihil dicitur) & Ozilam. Quo fugeret, nihil potiſsimùm occurrebat. Proximum fuit Namurcum, cuius ciues hoſpitalitatis acceperat eſſe ſtudioſos. Huc fugam vertit. Hîc primùm extorres, ignotas, inopeſque virgines vix quiſquam excepit; donec tandem apud ſe pauperes quædam Deo

Namurcũ ſe recipit.

Excipitur à ſancti-monialibus primùm,

Deo ſacratæ virgines hoſpitium certè dederunt: ſed inopiam leuare non poterant. Aliquanto igitur tempore rerum omnium egeſtas afflixit. Recreabat nihilominus animos humanis omnibus altiores certa ſpes de gloriæ cæleſtis opulentiâ, theſauriſque nunquam exhauriendis, qui momentaneam vitæ breuiſsimæ paupertatẽ æternùm bearent. Sed accendebant etiam exempla Chriſti Domini ſponſi amantiſsimi, qui *Propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopiâ nos diuites eſſemus.* Dulce erat, dum eius veſtigia premerẽt, odia, accuſationes,

39. cõtumelias, exilia, paupertatem extremam

deinde procurante antiſtitâ Salſiniensi, ab Archidiacono ad S. Albani,

perpeti. Inter hæc reſpirandi locum ſubinde Deus permittebat. * Himana Hoeſtedenia Conradi Archiepiſcopi Colonienſis ſoror germana, femina virtute ſpectabilis, ** & Salſiniæ Præfecta, *Abbatiſſam* vocant, (& hæc Ciſtercienſis Ordinis domus eſt ad Sabim in vrbis conſpectu) indignitate rei commota, Leodium ſcripſit ad huius Pro-

40. uinciȩ Archidiaconum (Ioannes dicebatur) virum multâ religione venerandum, officiorumq; Chriſtianorum ſtudioſiſsimum. A quibus, & quâ causâ Leodio eiecta fuiſſet Iuliana, ignorare non poterat: ſed vbi Namurci agere ſine certâ ſede accepit, pro ſuâ pietate in egenos ibidẽ notiſsimâ, ſuas ædes ad S. Albani Iulianæ permiſit. Diu hîc habitatum eſt in ſolitâ terrenorum ceterorum

terorum

terorum inopiâ, cæleſtium verò fauorum affluentiâ mirabili, quam è proximo templo percipere videbantur; vbi inter ſacra plurima, aliquid * ſanguinis, & Crucis Chriſti Domini, è nobili illo ſalutis noſtrę pretio aſſeruatur; quorum memoriâ, ſalubriq; meditatione mentem aſsiduè refouebant. 41.
At cùm idem Archidiaconus deinde noſocomium Namurci conſtrueret; illud inter & templum S. Simphoriani, Iulianæ relictam attribuit aream: in quâ piorum hominum munificentiâ habitationem exſtruxit, & inhabitauit diu, vitam agens inopem, victu mendicatim conquiſito. Donec tandem piâ ſollicitudine ſuâ effecit Himana, vt quæ ſua omnia Cornelianæ domui addixiſſent, quemadmodum rationi profectò conſentaneum erat, quoad viuerent, annui aliquid acciperent vectigalis. Porrò quo maledicorum os obſtrueretur, qui fortaſsis viuendi genus ſine præſide, ab immoderatâ libertate reprehenderent: è conſilio, ſententiâque hominum ſapientiâ, & eruditione præcipuorum, atque in primis Guidonis Epiſcopi Cameracenſis, tempus vitæ reliquum Antiſtitæ Salſinienſi ſubmiſerunt.

mox ad S. Simphoriani.

Antiſtitæ Salſinienſi ſe ſubijcit

Ca-

CAPVT XLIII.

Fumus ingens ex orantis capite exſurgit. Sodalibus futuram ſe prædicit ſuperſtitem: è quibus binæ moriuntur: cùm tertiâ ſe recipit Salſiniam.

INter tantam rerum viciſsitudinem, perturbationemque omnium, ſerenâ mentis tranquillitate nihilo minùs fruebatur Iuliana, ſuos vbique ſemper amores integros experta, conſtanteſque. Aliter ſentiant neceſſe eſt, quicumque præter Deum quidpiam in amoribus habent. Vnum eſt Deus ſincerum, & conſtans bonum, quod fidem præſtare poſsit: vana cætera ſunt, & mendacia. Summi huius boni amore ſuccendebatur adeò, vt igneſcere tota dici poſſet. Certè eâdem in vrbe, quidam aliquando fidei homo probatiſsimæ, vt quidem aſſeuerare ſolitus eſt, ſub ipſum Miſſæ Sacrificium, poſt recitatum Euangelium, ex eius vertice, dum in orationem incumberet, magnum exſtitiſſe fumum, ſurſumque tetendiſſe vidit. Ex ardentiſsimâ nimirum illâ Diuini amoris fornace, (Iulianæ pectus intelligo) prorumpebat. Eius multa procul dubio nobis indicia reliquiſſent, quæ tantâ fide per omnes rerum anguſtias erant ſecutæ ſodales, & tantâ familiaritate diu vitam

Ex orantis capite fumus exiſtit.

vitam in vnum egerāt, ſi ſuperſuiſſent. Niſi enim eximios in eâ Numinis fauores ſuſpexiſſent, nunquam vt cum eâ viuerent, reliquiſſent patriam: nunquam tam æquâ mente vitam traxiſſent miſerrimam. Verùm & Iulianæ ducebantur exemplis; & pre ſuauiſsimâ eius familiaritate, & conſuetudine, acerbiſsima quæque contemnebant. Atque vti mortalitatis lege definimur, eas aliquando timor, atque ex eo mœror inceſsit, ne fortaſsis olim orbitatem in exilio triſtiſsimam ex eius morte, cuius è vitâ ſe pendere fatebantur, cogerentur ſuſtinere. Quod cùm accepiſſet Iuliana: Timorē, inquit, omnem ponite, chariſsimæ ſorores; veſtrum ſingulis fidam me, & conſtantem, ad tumulum vſque, dante bono Deo, ſociam exhibebo, vobis omnibus ſuperfutura. Nilil aliter cecidit, quemadmodum mox videbimus. Et verò dum ad S. Symphoriani viuunt, Agnes, & Ozila tot perfunctæ calamitatibus, honeſti causâ toleratis, ex mortali hac vitâ tranſierunt ad immortalem, præmium ampliſsimum percepturæ. Corpora Salſiniam deducta ſunt, vt tumulo pro conditione decenti conderentur. Tum verò Iſabella, quæ Iulianæ neceſſitudinem eſſe ſciebat cum Himana Salſiniæ Præfectâ iucundiſsimam, (huic enim Iulianæ virtutes commendauerant amici Leodio, & verò quotidiana conſuetudo cla-

Sodalibus ſuperfuturam ſe prædicit:

duæ moriuntur.

Salſiniam inuitatur

clariſsimè teſtabatur) inſtabat cupientiſsimè, vt priuatâ domo relictâ, Salſiniam migrarent. Neque rationes erant improbabiles; cùm è ſtatus dignitate non videretur eſſe, duas dumtaxat ſeorſim agere; & affecta iam ætas, vireſque vitam communem magis poſtularent. Verùm Iuliana, quæ Diuino inſtructa lumine vltra præſentem rerum ſtatum aliquid proſpiciebat, de Salſiniâ ſermones non ſatis æquâ mente primùm audiebat: ſed vrgenti ſtudioſiùs Iſabellæ tandem acquieuit. Salſiniam ergo itur: venienteſque officioſè, & caritate ſincerâ non ſecus excipit Himana, quàm ſi beneficium acciperet, non verò concederet. Spatioſam deinde, amplamque aſsignat habitationem, nihil rata tantæ virtuti non debitum. His erubuit modeſtiſsima virgo, quæ terrenum omnem ſemper exoſa ſplendorem, vilißimis quibuſque ſummopere delectabatur. Atque tum ſtatim, aliaſque ſæpe, humiliorem rogare locum non deſtitit, cauſata habitationis anguſtias conſuetudine factas eſſe gratiores: addebat & caſam ædi ſacræ vicinam, ſibi, ſociæque futuram ſatis. Fruſtra hæc fuere omnia apud Præſidem, elucentium in Iulianâ virtutum adeò ſtudioſam, vt pro eius merito, nihil ſe poſſe, ſibi perſuaderet. Relictâ hîc tantiſper Iulianâ Leodium reuiſamus.

repugnat primùm.

mox acquieſcit,

& humaniter excipitur

Ca-

CAPVT XLIV.

Inter hæc Leodium cùm veniſſet Hugo Cardinalis, Officium de VEN. SACRAMENTO *probat: feſtum indicit, & celebrat ipſe in S. Martini.*

SI humanis rationibus omnia penſentur, quandoquidem poſt tot odia, perſecutiones, fugas, in exilio, & paupertate vitam agat Iuliana miſerrimam, neq; reditus vlla ſpes affulgeat; & quod malorum omnium ſumma ſit, cùm ad Eccleſiæ Leodienſis gubernaculum ſedeat, qui cupidiùs exercitum ducat, & inter arma verſetur, quàm ſacrorum adminiſtrationem ſuſcipiat, Henricus Guelder; nihil iam de die origini primæ VEN. SACRAMENTI conſecrando ſperandum eſſe videatur. Verùm altiore conſilio regitur æterna mens; atque rem tum in vado collocat, cùm ceteri perditam arbitrantur. Ecce ſub hæc tempora, ſanè calamitoſa, in Germaniam à Summo Pontifice Innocentio quarto, Legatus ſummâ cum autoritate (à latere vocant) Hugo mittitur. Hic ille Hugo eſt, qui cùm in Dominicanâ familiâ Prouinciam adminiſtraret, de hoc feſto ſententiam rogatus, non poſſe non cedere ad inſignem Dei gloriam cenſuerat. Magnus vir omnino fuit, & in rebus

Spes pene deplorata.

Leodium venit Hugo Card. Legatus in Germaniâ.

Digitized by Google

magnis à ſcriptoribus varijs celebratus. In primis Lutetiæ Pariſiorum cùm anno milleſimo ducenteſimo viceſimo octauo, viri ſapientiſsimi de *pluralitate beneficiorum*, vt loquũtur Theologi, acerrimè diſputaſſent; communibus tandem ſuffragijs damnârunt: inter quos ſententiam dixit, manuque ſubſcripſit Frater Hugo. Conſtantinopolim deinde anno ducenteſimo triceſimo tertio ſupra milleſimum profectus eſt, cum Petro quodam item Dominicano; adiunctis ex Minorum Ordine Aymone, & Rudolfo. A Gregorio nono mittebantur ad Germanum ſecundum Patriarcham Coſtantinop. vt ad ſanam doctrinam, & coniunctionem cum Eccleſiâ Latinâ permouerent. Et ſanè validiſsimis argumentis, autoritateq; Sanctorum Patrum cùm è Græciâ, tum è Latio petitorum, demonſtrârunt id, quod caput erat legationis, & controuerſiæ: *ex Patre, & Filio Spiritum ſanctum procedere.* Eaque dogmata rectiſsimè confirmata, vniuerſo Orienti reliquerunt. Ad Oecumenicam præterea Synodum Lugduni indictam anno huius ſeculi quadrageſimo quinto vocatus, vt ſententiæ ſuæ momentum grauius adderet, Innocentius quartus, inter Purpuratos S. R. E. Patres Presbyteros adlegit, addito titulo, vt loquuntur, S. Sabinæ. In hoc orbis theatro, præter cetera religioſè, ſapienterque dicta, & facta, ipſe cum Guilielmo

antè Conſtantinopoli:

pòſt in Cõcilio Lugdunenſi creatus Cardinalis,

lielmo Anteradenſi Epiſcopo leges, Conſtitutioneſque Ordinis Carmelitani accepit perpendendas. Rinaldus enim, & Petrus ex eodem ordine, precibus apud Innocentium inſtiterunt, vt legum Monaſticarum rigor, qui iam primo feruore animorum, vt ferè fit, ſenſim langueſcente nimius videbatur, temperaretur autoritate Pontificiâ. Fecerunt Hugo, & Guilielmus non diligenter magis, quàm ſapienter: annóq; Pontificatus ſui quinto, calendis Sept. Lugduni Innocentius approbauit. Scriptis inſuper claruit Hugo, Scriptoreſque Hagiographos omnes dictione quidem nõ admodum cultâ, at magnâ eruditione explicauit. Opus verò eius præcipuum, vti laboris propemodum immenſi, ita æternâ dignum gloriâ ob vtilitatem maximam, illud eſt, quod *Concordantias Bibliorum* appellãt. Quingentorum è Dominici familiâ ſociorum ſtudio, & labore fertur adiutus. Quæ omnia hîc inſerere non omnino abs re putaui: cõſtabit enim quantorum hominum autoritate, ſacræ huius ſanctionis initia prima niterentur. Inter obeundas igitur prouincias ſibi ab Innocentio demandatas Leodium venit. Vbi ex neceſsitudine, quæ mutua quondam interceſſerat, ſalutatum plerique venerunt, dignitate, doctrinâque præcipui: atque inter varia, vt fit, incidit ſermo de Collegio S. Martini, quod vnum in totâ

temperat Conſtitutiones Carmelitarum.

autor eſt primus Concordantiarũ biblicarũ.

Digitized by Google

Diœceſi, conditum, imperatumque à Roberto Epiſcopo feſtum VEN. SACRAMENTI, ſuſcepiſſet, adhucque retineret, non religiosè minùs, quàm conſtanter: ſimulque vbi de ritu quæſitum eſt, *Officium*, quod Iulianæ auſpicijs, afflatuque Diuino conſcriptum meminimus, cenſurę oblatum eſt. Non attentè modò legit Cardinalis, approbauitque ſummopere ſingula; verùm etiam, quod ex Numinis honore fieri poſſe olim iudicauerat, pro eâ, quâ modò inſtructus erat, autoritate confirmauit. Diem ergo dicit, quo in S. Martini ſolemni ritu hęc ſacra celebraret. Dies aderat: concurſus fit omnium ordinum frequentiſsimus, inuitante vel rei nouitate, vel autoritate Cardinalis. Ipſe ritu Pontificio facit: atque ſub ipſa Myſteria ſuggeſtum conſcendens, ad confertiſsimam concionem dicit. Orationis præcipua hæc fuere capita: Magnam feſti huius futuram olim dignitatem, ob amplificatam Diuini nominis gloriam: acceſſurum ad publicum Eccleſiæ Leodienſis, priuatumque ſingulorum bonum, momentum longè grauiſsimum, quòd è munificâ ſupernæ benignitatis manu, largiſsimi gratiarum imbres olim depluerent in omnes eos, qui religioſo mentis affectu, diem his ſacris conſtitutum venerarentur. Contenderent igitur omnes, quà ſacri ordinis, quà profani, homines debitum cultum, & venerationem,

Leodij denique Officio probato, Feſtum decernit,

& celebrat ipſe,

habitâq; oratione collaudat.

nerationem, pro feſti majeſtate conferre: cultum verò magis conſentaneum eſſe non poſſe, quàm ſi Angelico Pane quamplurimi reficerentur. Cùmque ita peroraſſet, Sacrificium peregit. Valuit apud omnes, etiam Principes Canonicos, Legati vel autoritas, vel imperium. ab eo namque tempore feſtum hoc celebrari cœptum eſt vrbe totâ: quo animo, docebit euentus.

CAPVT XLV.

Cardinalis oratione perſuaſus S. Martini Canonicus, vectigal aſsignat feſto annuè celebrando. quem ad hoc Leodij prouidentia Numinis detinuiſſe videtur prodigio mirabili.

PErorantem, vt iam diximus, Legatum audierat inter ceteros quidam eiuſdem Collegij Cânonicus, nomine Stephanus: *Canonicus quidã ſumtus legat Feſto celebrando,* ſed adeò deſcendit in animum oratio, vt eximiam huius ſacri dignitatem altâ quâpiam veneratione admiratus, domum cùm deinde redijſſet: Certè, inquit ad ſororem, fidem mihi facundiâ cæleſti prorſus fecit Legatus, vt animum facilè iam inducam credere, feſtum hoc ad ampliſsimum Numinis honorem decerni. Et verò ſi mihi condere teſtamentum eſſet integrum, neque iam dudum id eſſet ſcriptum, annuum profectò vectigal aſsignarem, quo ritu ſo-

Digitized by Google

lemni noſtrâ in æde feſtum hoc in poſterum perageretur. Ad hæc ſoror, Maria nomine, ſacrorum omnium in paucis ſtudioſiſsima, atque etiam fortaſsis in ardore hoc ſancto nihil ceſſura fratri, quamuis eius heres ferme ex aſſe dicta eſſet; terrenas nihilominus opes optimè collocandas rata, ſi in Diuinam majeſtatem, vnde omnia ſunt, refunderentur; non modò nihil interceſsit, verùm nouos fratri ſtimulos etiã admouit. Igitur ex vtriuſque animo tabulis immutatis, ædi Martinianæ ea bona tranſcripſerunt, quorum fructus accendendis pro dignitate luminibus, pariqúe cum ſummis feſtis cultui, & celebritati ſufficerent. Sed æternam mecũ admirare prouidentiam, quâ Deus per vias mortalibus ignotas, ad eum, quem ipſe ſibi præfixit, finem humana deducat. Aliquot abhinc annos idem ille Stephanus, ſollicitatus amore patriæ, Leodium ſtatuerat deſerere, & affectâ quanquam ætate, onera Curionis præferebat vitæ, quam pro conditione duceret in S. Martini honeſtiſsimam, ab omni ſollicitudine, curâque liberrimæ. Dolebat id ſorori non mediocriter, quæ ſanctas neceſsitudines ſuas Leodij religioſè contractas, non æquo animo abrumpebat: cùmque fratrem ab hac ſententiâ deducere fruſtra diu tentaſſet; ad Iulianam ſibi perfamiliarem venit (nondum enim pulſa exulabat) remque

aſſentiente herede ſuâ ſorore.

Hũc olim Leodio abituriẽtem,

vti prædixerat Iuliana,

Digitized by Google

remque aperit totam. At illa: Bono, inquit, animo ſimus, precibuſque ad Deum factis, ſpes noſtras omnes in eo collocemus; & fratrem, vt ego quidem ſpero, tibi reſtituet. Euenit, vt dictum eſt. Abierat in patriam Stephanus, vices permutaturus cum Curione; atque vt admitteretur ad id officij, probandum ſe ſiſtit. Probatur; ſed dicis causâ; vt qui litterarum opinione celebraretur. liber exhibetur, ex quo legeret: accipit in manus: aperit. Sed ecce, qui iure conſultus erat, hæret, nec magis apicem vllum, quàm imperitus quiſpiam ruſticus agnoſcit. Dei vim palam mox profitetur; & re infectâ Leodium reuertit ad ſororem: diuque mens, & valetudo manſerunt imminuta. Hoc prodigio, præter mẽtem, Leodij detentus eſt, vt manifeſtiore Numinis prouidentiâ cultum auguſtiſsimi EVCHARISTIAE Sacramenti promoueret. Ceterùm abs re futurum non arbitror, ſi paucis addidero, quas velut arrhas æternæ mercedis, in hac vitâ, cum ſorore Stephanus præceperit: facit enim non parum ad gloriam, cultumq; ſacroſancto CHRISTI CORPORI, eiuſque feſto curandum: quod omnium maximè hîc ſtudemus. Stephanus ergo poſt teſtatam in Diuina hæc Myſteria voluntatem ſuam, quam eſſe volebat extremam, Dei viciſsim liberalitatem expertus eſt admirandam. Clariſsimũ

prodigio mirando detinuit Deus,

& poſt clarâ ſui cognitione donauit:

menti lumen infundi ſenſit, quo penitiſsimas animi luſtraret latebras, inſolentique ſui cognitione polleret: voluntatem verò ſingulari quodam amore ſuccendi erga ſanctiſsimum hoc, Diuinumq; SACRAMENTVM: quod præcipuâ quâdam veneratione, ac religione, octauo quoque die perciperet. rarum temporibus iſtis pietatis ſtudium. Tandemque in extremâ ſenectute, rectè factorum conſcientiâ lætus, mortalem hanc vitã feliciter, & Chriſtianè clauſit. Neque ſua defuere præmia ſorori: quæ mox grauibus tentari morbis cœpit. ſiue Deus ita iuberet, quo purgarentur labes quotidianæ, quas humana ſecum fert infirmitas; ſiue materiam ſubminiſtraret virtuti, æternùm deinde coronandæ: ſeu denique gloriam ſuam, ac poteſtatem in illâ manifeſtare decreuiſſet. Tãta erat ex morbo corporis imbecillitas, vt ſe loco vix mouere; tantus omnium membrorum tumor, vt corpus inflectere nullo modo poſſet. Illuxerat fortè dies celebrando huic Diuino Myſterio conſtitutus, quem ſanè ſingulari honore coleret, ſi valetudo pateretur. Et verò corporis vires afflictas excitauit ardor animi: ſurgit in pedes; gradum, quà poteſt, promouet; & totâ neruorum omnium contentione ad ædem Curiæ ſuæ (Parochialem vocamus) corpus infirmum trahit. Vbi auguſtiſsimo Miſſæ Sacrificio

ſorori etiã miraculo ſanitatẽ reſtituit.

cùm

cùm interfuiſſet, & pro ſuâ in feſtum illud affectione, Diuino ſe pabulo refeciſſet; domum, vt venerat, redit. fatigata membra collocat in lecto; ſuauiq́ue ſomno mox occupatur. Breuis ille fuit. ſed ecce dum euigilat, membra molliter flectit ſine difficultate, aut doloris ſenſu: apertis oculis videt omnem receſsiſſe corporis tumorem: denique dolorum omnium, ac infirmitatis reliquum nihil ſentit. Tam ſubita, integra, inexſpectataque curatio ſoli Diuinæ Bonitati poterat adſcribi. ei gratias vni habet, quàm poteſt, maximas. atque ad confirmandos hominum animos in huius feſti veneratione, cùm Canonicis Martinianis, tum alijs pleriſque optimi Dei gratiam in ſe indubitatam aperit.

CAPVT XLVI.

Feſtum diplomate confirmat Hugo Legatus.

AD inſtitutum ſermonem reuertimur. Diem ſacrũ VEN. SACRAMENTO, grauiori quàm adhuc autoritate conſtituerat, ac celebrauerat Hugo Cardinalis: verùm vt proprium, perpetuumq́ue eſſet, & quàm plurimis commune populis hoc feſtum, diplomate ſanciendum putauit, * in hunc modum. 42.

Reuerendis Patribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Venerabilibus Fratribus, Abbatibus, & aliis dilectis in Chriſto Rectoribus, Decanis, Archidiaconis, & omnium quorumlibet Ordinum perſonis, aliis quoque Chriſti-fidelibus, intra Legationis noſtræ terminos conſtitutis, Frater Hugo miſeratione Diuinâ tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus ſalutem in Domino.

DVm humani generis merita, & æterni beneficia conditoris in librâ rationis appendimus, dum maiorem inter ipſa diſtantiam, quàm guttæ roris, & oceani inuenimus, grandi mens noſtra timore concutitur; eò quòd nihil aliud in rationis iudicio reperitur, niſi quòd ſi totus homo, ſicut cera à facie ignis, in obſequia diuina liqueſceret; Deo tamen quicquam dignum rependere non valeret. Ipſe ſiquidem hominem de luteâ materiâ conditum, conciuem Angelorum effecit, formã ſerui accipiens, & carnem vniens Deitati, pro ipſius redemtione, inæſtimabile ſui fudit ſanguinis pretium, quem dolebat ſeruitutis Diabolicæ nexibus compeditum. Nec iſtud ſibi ſufficere poterat; quin etiam ad maioris erga nos dilectionis indicia, CORPVS *ſuum ablaturus ab oculis noſtris, & illaturus ſideribus, ipſum nobis ſub mundiſſimâ quãdam Sacramenti ſindone relinqueret inuolutum, vt operatione eius contrà poteſtates aëreas ſenſus noſtros muniret, & venialia peccata remitteret, in grauioribus*

tolleret

tolleret omnino conſenſum, ac virtutum profe-ctionem tribueret. Illud quoque edendo, iugiter habeamus in animo memoriam Dominicæ Paſſionis, ac de tanto beneficio laudis ei hoſtiam offeramus, qui nos per ſingula momenta continuâ beneficiorum conſolatione proſequitur; donec excreuerimus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; edentes medullam tritici, & bibentes vinum merum, ſuper menſam ſuam in regno ſuo: quæ nobis in tenebris, & in vmbrâ mortis exiſtentibus, ſub quodam Sacramenti cortice, paleâ litteræ, ac velamine fidei proponuntur. Sanè licet hoc VENERABILE SACRAMENTVM in quotidianâ memoriâ cum deuotione debitâ recolatur, dignum tamen eſt ad confutandum quorundam Hæreticorum inſaniam, vt vel ſemel in anno, ſpecialiùs, & ſolemniùs, quàm in cenâ Domini, quando circa lotionem pedum, ac memoriam Dominicæ Paſſionis, ſancta Mater Eccleſia occupatur, generalibus, ac aliis quotidianis diebus, ad memoriam cunctis fidelibus reuocetur. Cùm enim Sancti, quorum in Litaniis, & Miſſis, & aliis ſecretis orationibus memoria quotidie in Eccleſiâ veneratur, ſemel in anno nihilominus, ad eorum merita ſpecialiùs recolenda habeant feſta ſua; non incongruum eſt, ſi ſacrum ſacrorum, amor amorum, & dulcedo omnium dulcedinum, feſtum habeat ſpeciale, in quo cautè, & ſollicitè ſuppleatur, quod de ipſius memoriâ venerandâ aliјs quotidianis diebus fuerat prætermiſſum.

Nos

Nos itaque ſtatuentes, quòd proximâ feriâ quintà poſt octauas Pentecoſtes feſtum de hoc excellentiſsimo SACRAMENTO, *infra omnes Legationis noſtræ terminos teneatur, Vniuerſitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino: vobis, quâ fungimur autoritate, firmiter præcipiendo mandantes, ac in remiſsionem peccaminum iniungentes, quatenus dictum feſtũ prædictâ die, ſingulis annis cum nouem lectionibus, reſponſorijs, verſiculis, & antiphonis proprijs ſuper hoc ſpecialiter ordinatis in ſingulis eccleſiis celebretis, & veſtris ſubditis annuatim Dominicâ præcedẽte publicè nuntietis, vt vigilijs, eleemoſynis, orationibus, ac alijs bonis operibus ſic ſe ſtudeãt præparare, vt eſſe poſsint illa die participes illius dulciſsimi* SACRAMENTI: *ac illi, qui parati fuerint, & probati, ac quorum tetigerit Deus corda, ipſum non neceſsitate, ſed honeſtate recipere (ſi velint) valeant cum ſalute, vt per operationem ipſius, & vitia eorum purgentur, & iuſta deſideria compleantur. Nos enim ad inuitandum fideles, quo feſtum illud venerabiliùs celebrent, & obſeruent, omnibus pœnitentibus, & confeſsis, qui ad eccleſiam, vbi officium agetur de eodem, ipſo die, & per octauas acceſſerint reuerenter, centum dies de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Datum Leodij 14. Kal. Ianuarij Pontificatus Domini Innocentij quarti anno decimo.* Ita religioſiſsimus Cardinalis, qui vt decreto ſuo pondus adderet, litteras item alias ſcripſit, quibus ſe feſtum ſolemni ritu celebraſſe teſtaretur.

Digitized by Google

CAPVT XLVII.

Suam autoritatem deinde Petrus Capoccius adiungit, Pontificius item Legatus. Aduerſarij à Deo ſeuerè puniuntur.

EFfluxerat bienniũ poſt litteras ab Hugone datas, cùm * ortâ graui diſſenſione Principem inter, Clerumq́ue, ac populum Leodienſem, Pontificius Legatus, qui Traiecti apud Cęſarem agebat pacem compoſiturus aduenit. 43.

Leodium venit alter Legatus:

Fuit is Petrus, illuſtri Capocciorum in Latio familiâ oriundus, & Sancti Georgij ad velum aureum Cardinalis. Rerum Leodienſium peritus is habebatur, vt qui anno quadrageſimo ſeptimo Leodij Legatione functus pro Pontifice, eius autoritate Henricum Gueldrum Leodienſem Epiſcopum iuſſerat, quò Guilielmus Hollandus nuperrimè Cæſar ſalutatus, qui cognatione Henricum attingebat, his viribus auctior res Eccleſiæ fortiùs propugnaret. Vt Leodium venit Legatus, multa inaudijt de nouo feſto, quod nuſquam gentium quidem eſſet receptum, ſed Apoſtolici tamen Legati calculo, adeòque imperio confirmatum, magnâ plurimorum (nam aduerſarij nihil dum auſi hiſcere, cōſilia diſsimulabant) religione celebraretur, non potuit nō vehementer approbare. Atque

& diplomate Feſtum confirmat. que quò ceteros magis excitaret, amplificaretque æterni Numinis honorem, prius Hugonis decretum autoritate ſuâ comprobauit, feſtumq; rurſus ſuâ ſententiâ ſanxit,
44. quam adhuc poſteritas in * hæc verba aſſeuerat.

Petrus miſeratione Diuinâ Sācti Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Vniuerſis Chriſti-fidelibus intra Legationis noſtræ terminos conſtitutis ſalutem in Domino.

DVm in excellentiâ Deitatis æternæ fidelium cōſideratio iugi meditatione verſatur, proprium non indignè perauget affectum, vt Chriſtum Dei Filium dignâ veneratione colere ſtudeat, & puræ mentis ſtudio reuereri; præſertim vbi memoria geritur hominem ſerpentinâ potione deluſum, ſaluationis meruiſſe præmium, Sanguine Redemtoris. Cùm igitur Venerabilis Pater Dominus Hugo tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, tunc in Alemanniæ partibus Apoſtolicæ Sedis Legatus, dignâ duxerit prouidentiâ ſtatuendū, vt ineffabile CORPORIS CHRISTI *Sacramentum (quanquam de ipſo memoria per quotidianum Sacrificium habeatur) feſtum habeat ſpeciale primâ quintâ feriâ poſt feſtum Trinitatis, annis ſingulis in eiſdem partibus ſolemniter celebrandum, pro vt in litteris ſuis inde confectis pleniùs vidimus contineri. Nos ſtatutum huiuſmodi ſanctum, & laudabile, ratum, & gratum habentes, illud autoritate præſentium*

tium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum: Datum Leodij 2. Cal. Decembris anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto. Ita ſanctiſsimè in eandem ſententiam conuenerunt Apſtolici duo Legati ad auguſtiſsimi feſti ſanctionem. Sed valuere nimirum decreta hæc, quamdiu in ſacro illo magiſtratu fuerunt autores ipſi: ſimul illum poſuerunt, viſa eſt poni decretorum omnis autoritas. Atque in primis potentiſsimi quique ædis principis Canonici, qui mentem hactenus diſsimulauerant, ex Legatorum fortaſſe reuerentiâ, abiectâ perſonâ, qui eſſent, palam profiteri cœperunt: autoritatiſque ſuæ momentum, quo quemadmodum ex Dei munere fruebantur, ita ad propagandam eius gloriam vti conſentaneum erat, conuerterunt in Dei ſui contumeliam; & decretum fecerunt, quo feſti noui celebritas omnis antiquaretur. * Non tulit æterna Majeſtas hunc ſui contemptum, ſed ex ijs pleroſque morte adeo inopinâ oppreſsit, vt Diuinæ iuſtitiæ vindex manus ab imperitâ etiam multitudine, non ſine ſcommatibus in reos, notaretur. Iam igitur

A diſceſſu Legatorũ Canonici Leodienſes Feſtũ agi vetãt:

45. *ſed in eos grauiter Deus animaduertit.*

igitur ſecundò impedita eſt feſti huius ſacroſancti ſanctio; tum certè valitura, cùm ita, qui ſupra hominum conſilia, conatuſq; eſt, Deus decreuerit.

CAPVT XLVIII.

Singulari ſtudio fertur Iuliana in B. Virginis Canticum. multa vaticinatur.

SI Iulianam ſubinde Namurci reuiſimus, inueniemus omni procul dubio lætitiâ exundantem, Numinique referentem gratias, pro felicibus nuntijs, quos accepit de confirmato Leodij feſto. Litteris tamen nihil inuenio proditum. Verùm ſincera, cõſtantiaque Iulianæ gaudia ſponſus in cælis parabat, quæ profectò nunquam in terris indulſit. Neque dubitandum videtur omnino, graui commotam dolore fuiſſe, cùm ſanctiſsima illa Romanorum Legatorũ decreta accepit à Leodienſibus eſſe reſciſſa. Ceterùm dum agit Salſiniæ, Antiſtitæ carior in dies euadebat admiratione virtutũ; quas in eâ non pulcherrimas deprehendere non poterat, qui eâ familiariter vteretur. Suauiſsimos aliquando miſcebant de rebus Diuinis ſermones, vt aliàs ſæpe: & fortè tum euenerat, vt agerẽt de elegantiâ Diuini illius Cantici, quod Virgo-Mater olim apud Eliſabetam afflata Numine cecinerat.

Quanti fecerit B. Virginis carmen Magnificat.

rat.

rat. Himana ſiue inaudijſſet antè, Iulianam hoc Cantico ſingulariter capi, vt ſuprà demonſtrauimus; ſiue collegiſſet ex verbis quidpiam ſolito maius ſancto pectore latere: precibus inſtitit, vt pro mutuâ neceſsitudine, aperire non grauaretur, quid è cælo ſuauitatis, animo perſentiſceret, vel ex meditatione, vel ex modulamine ſancti huius carminis. Erupitque ſubitò præter mentem ex ore, quod animo claudere diutius non poterat: Quantulumcumque illud ſit cæleſtis dulcedinis, quod ex admirabilis huius Cantici meditatione, ſuauiſsima Virgo MARIA immerenti mihi impertitur, nunquam equidem auro tanto permutârim, quantum ampliſsimus Aſceterij totius ambitus contineret. Ex dicendi ratione ſatis intellexit Antiſtita, maiora quædam virginis ſanctiſsimæ pectore claudi, quàm quæ explicari ſermone poſſent. At verò Iuliana, quæ quidquid ore promeret, libratâ prudentiæ lance conſueuiſſet expédere, cùm ad ſe deinde redijſſet, & ad rationis trutinam ſecum verba ſua reuocaret, ipſam ſui puduit pro ſolitâ modeſtiâ; nimiæque libertatis, vt vocabat, pœnituit: neque potuit conquieſcere, dum ſequenti die ſuppliciter Antiſtitam rogaſſet, hanc ſibi condonaret noxiam: obteſtataque eſſet per ſacra omnia, ne, quod per imprudentiam excidiſſet ore, vulgaret. Hone-

ſingularis eius modeſtia.

ſtiſsimam profectò totius Iulianæ compoſitionem fuiſſe, dubitari nullo modo poteſt, quandoquidem tam admirabilis fuerit lingua moderatio, vt verbum vnum, quod pro more non potuerat expendere, ita afflixerit. Sed vaticinia, quæ ſcilicet hominum ſenſus magis feriunt, admirabiliorem etiam faciebant. Olim quidem Ioannes de Lauſanâ, amicus ille Iulianæ fidiſsimus, Sallìniæ præſidi affirmauerat, non aliam ejus dictis fidem eſſe habendam, quàm ſi ex oraculo prodijſſent: verùm ita eſſe, ipſo deinde vſu clariſsimè compertum eſt. Cum Antiſtitâ aliquando de glorioſo illo vndecies millenarum Virginum exercitu; quarum ſacra pignora Coloniæ quieſcunt, colloquebatur; cùm edixit diſertè, futurũ, vt de fortiſsimis illis Martyribus ipſa, cum ſorore ſua Alide ad S. VValburgis antiſtitâ bene mereretur. Probatum eſt euentu vaticinium poſt ipſius Iulianæ mortem. Nam cùm impetratâ facultate, piæ ſorores in ſanctarum Virginum conditorio terram altè iuſsiſſent effodi, inuenta ſunt quingenta, eoque ampliùs Martyrum ſanctarum corpora: theſaurus omni auro pretioſior. Religioſo earundem ſororum ſtudio in Flandriam illata ſunt: quæ * Margareta, Balduini primi Imperatoris Conſtantinopolitani filia, quæ tum temporis, ibi rerum potiebatur, ceterique Flandriæ ordines, exce-

Prædicit honores ab Antiſtitâ procurandos Sanctis 11000. Virginibus:

46.

exceperunt veneratione ſingulari, inque loca varia diſtribuerunt, quò & honores, cultumque ferrent pro merito, & ſupplicibus præſidium pro honore referrent. Sed alia Iulianæ vaticinia confirmauit celerior euentus. Intempeſtâ nocte certior facta de repentino, grauique morbo cuiuſdam virginis Deo conſecratæ, ipſique amiciſsimæ, mox ad cæleſtem opē confugit. Orto die, cùm ex eâ quæreretur, quid cenſeret de amicæ periculo: Extra periculum eſt; inquit. mihi verò propior inſtat extremus dies; poſt quem ipſa pro me Deum deprecabitur. Neque diu poſt valetudini reſtituta eſt. Aliàs Namurcum Salſiniâ proficiſcendum ipſi fuit. inuitatur à ſodalibus in paratam cimbam, quâ ſecundo Sabi ferretur; vt corpus ætate longâ, morbiſque fractum, itineris moleſtiâ ſubleuaret. Induci nunquam potuit; neque vel ipſum flumen voluit tranſmittere, quâ breuior eſt in vrbem via. ſociaſq; adeò dehortata eſt ſeriò, ne ſarcinas vllas nauigio crederent. Crediderunt nihilominus, arbitratæ periculum omne procul abeſſe. Sed littus vix deſeruerat nauis, cùm fluctibus hauritur, vnàque pereunt omnes ſarcinæ.

item alteri ſanitatem reſtituendam:

alijs denique naufragium.

Digitized by Google

CAPVT XLIX.

Iſabella moritur: quam auxilio non egere mortalium indicat Iuliana; Leodioq; Ermentrudem euocat.

NOui luctus, noua funera, & exilia Iulianam circumſtant. Ita ſuis cæleſtis Agonotetha, quoad viuunt, certamina ſubmittit, vt in cælis victores coronet. Ceterùm noſtræ virgini nihil accidit inexſpectatum. Cariſsima eius ſodalis Iſabella, comes in omnibus calamitatibus fidiſsima, & quàm ſimillima virtutum imitatione, lethali morbo Salſiniæ correpta, quemadmodum à Iulianâ prædictum eſſe, ſuprà meminimus, miſeram hanc vitam cùm felici, & æternâ, commutauit; & propter alias, quæ antè obierant, ſita eſt. Dum corpus de more ad funus appareretur, ſeponi Iulianam curauerat Antiſtita, ne extrema illa officia dolorem irritarent. Quibus ritè factis, cùm ad eam veniſſet, totamq; videret in lacrymas ſolutam, familiarìter, & ſerenâ voce: Egregium verò, inquit, ô Iuliana, religioſæ fortitudinis exemplum nobis relinquis, quæ ſodalis tuæ mortem tam ægrè feras. Non eius ego ſortem lugeo, reſpondet ipſa, ſed meam, quæ tam fidâ, ſanctâque comite deſtituor. Et profectò de eius æternâ

Moritur Iſabella:

mortem quî tulerit Iuliana:

ternâ ſalute adeò ſecura viſa eſt, vt quæ familiaribus ſuis hac vitâ functis eximiâ caritate ſubueniebat, & quibus poterat commendabat ſtudioſiſsimè; pro hac nihilominus Iſabellâ nullius omnino expetierit ſubſidium. Quod cùm datâ operâ totos dies quindenos ſedulò notaſſet Himana, venit tandem ad Iulianam, dixitque inter alia, mirari ſe plurimùm, quid cauſæ demum eſſet, cur tanto ſpatio, neque à ſe, neque à quocumque alio, pro fidiſsimâ ſodali ſuâ, opem aliquam petijſſet. Sereno, hilarique vultu reſpondit: E Sanctis aliquem memini dicere, iniurium eſſe Sancto, qui pro Sancto Deo ſupplicaret. Paucis apertè mentem explicauit. Ceterùm cùm Salſiniam amaret Iuliana, quòd multas ſanctarum animarum exuuias aſſeruaret, coleretque; maiore beneuolentiâ proſequi cœpit, ex quo terna ſodalium ſuarum corpora ſeruaret, quarum ipſa probè nouiſſet ſanctitatem. Tribus ergo ſuperſtes Iuliana, ne ſola ageret, è Cornelianis ſodalibus Leodio Ermentrudem euocat. quæ vt Iulianæ ſemper fuerat amantiſsima, nullâ morâ ſe ſtitit, fidiſsimamque exhibuit comitem, ad extremum vſque eius ſpiritum.

precum ei ſubſidium cur non corrogârit.

Ermentrudem Leodio accerſit.

CAPVT L.

Viſitur à Ioanne quondam Priore Corneliano. felicemq; eius mortem prædicit.

NOn omnis exceſſerat inter bonos Leodij Iulianæ poſt tot annos memoria, deſideriumque. Ioannes, magnus ille noſtræ virginis amicus, qui eius auſpicijs religioſiſsimum de ſacroſancto EVCHARISTIAE Myſterio ſcripſerat *Officium*, & quo tempore Cornelianam domum magnâ laude rexiſſet, calamitatum cum Iulianâ conſors fuerat, amicæ virginis viſendæ, ac ſalutandæ deſiderio Salſiniam venit. Excepit humaniſsimè Iuliana pro veteri conſuetudine; ſed maximè, cùm hominē probè noſſet, ob eximiæ virtutis admirationem. Ad reditum ſe parabat: & Ermentrudi Iuliana: Peccatorum, inquit, confeſsionem in aures ei facito, qui legitimus eſt animæ tuæ Paſtor; neque poſthac eius vel tibi, vel mihi dabitur copia. Ita factum eſt. Leodium non diu redierat, cùm in morbum incidit, quem mors conſecuta eſt. Eodem temporis momento, quo ſancta illa anima corporis ergaſtulum relinquebat, femina quædam clauſa, vitæ innocentiâ venerabilis, non paruo diſsita interuallo, in rerum fortè Diuinarum meditationem incumbe-

Ioannes Prior Cornelianus ad Iulianam venit:

Leodij moritur feliciter,

cumbe-

cumbebat, cùm magnæ alicuius multitudinis ſupra ſe, tendentis in cælos, ſuauiſsimũ audijt concentum in hæc verba: *Chriſtum regem regum adoremus Dominum.* Atque inter ceteros viſa eſt dignoſcere ipſius Ioannis vocem, de cuius morte nihil dum potuerat audire. Animum verò dulcedine tantâ demulceri ſenſit, vt ſui velut impos, ceteris concinere cœperit ſuauiſsimè illud idem *Chriſtum regem regum adoremus Dominum.* Nuntiatâ deinde Ioannis morte, ſimul comperit eodem temporis articulo cæleſtem illum auditum eſſe cantum, quo animam exhalaſſet. Huiuſce rei veritatem cõfirmauit, quod oblatum eſt alteri cuipiam morum ſanctimoniâ ſpectabili viſum in ipſo templo, in cuius medio corpus demortui quieſcebat, priùs quàm terrâ conderetur. Dum in preces incumberet, templi tectum derepente vidit diſcedere, atque de cælis delabi cum ſanctiſsimâ Matre ſuâ Chriſtum Dominum; qui cùm beatam Ioannis animam excepiſſent, in æternam beatitatem ſecum deduxerunt. Illa fuerunt Diuinæ bonitatis de ſerui ſui ſanctitate teſtimonia. Neque dubitabant inter mortales, qui ſanioris erant animi. Sanè quidam integerrimæ vitæ ſacerdos, ipſo funeris die, cùm pro ipſo feciſſet, quærerentque ex eo Cornelianæ virgines, quid eo factum cenſeret; magnâ libertate reſpondit: Iesvm Chriſtum,

ita ſecundò Cælites teſtati ſunt,

item & mortales.

ſtum, amores ſuos videt, & fruitur æternùm. Hæc pauca de felici Ioannis morte, ab inſtituto non exiſtimaui aliena, quòd Iulianæ ſectator ſemper fuerit ſtudioſiſsimus, calamitatumque particeps: ſed eò maximè, quòd VEN. EVCHARISTIAE cultum, quà potuit, ſcriptis ſuis, & induſtriâ promouerit.

CAPVT LI.

Res etiam Namurci turbantur, pudendâ ex causâ.

47. NAmurci hac tempeſtate * Martha Auguſta, Balduini 2. Conſtantinopoleos Imperatoris coniux, & filia Ioannis Brennæ Regis Hieroſolymitani, Himanâ Salſiniæ præfectâ, ob animi nobilitatem non minorem, quàm generis, familiariſsimè vtebatur; vixque patiebatur ab oculis ſuis diſcedere. Dolebat id mirum in modũ Iulianæ, malorum præſagæ. & amicam ſtudioſiùs monebat interdum, iſti ſe conſuetudini, ſi quâ poſſet ratione, prudenter ſubduceret, ne cum Auguſtâ, ſimul ipſa, domuſque miſerrimis turbinibus inuolueretur. Sed vincula ſunt Principum amicitiæ. volentes alios ſuâ dulcedine illiciunt, ac conſtringunt: alios etiam inuitos retinent autoritate. E quorum numero Himanam ſibi

Antiſtita apud Auguſtam in gratia eſt

Iulianæ hoc dolet.

ſibi ſemper adeſſe cupiebat Auguſta; dum tandem exſurrexit procella. Origo hęc eius fuit. E Clero Namurcēſi cuidam fuit propter Salſiniam domus ſuburbana: quò cum ſui ſimilibus vbi ſe recepiſſet, vitam fornice dignam, & lupanari traducebat. Sacrarum virginum aſceterio oppoſitam dixiſſes ex aduerſo arcem à dæmone; qui nimirum, vel inſanâ libidine Diuinos ſemper honores æmulatur; vel odio capitali, & liuore hominibus ad beatitatem contendentibus obicem molitur. Neque profectò hìc fruſtra. maior enim clades virtuti eſt illata, quàm inſultu primo timenda videretur. Collata non poterant diu ſtare caſtris caſtra, Pudoris hinc & Chriſti, Veneris inde Tartarique, ſine aliquo certamine, rerumq; in alterutram partem inclinatione. Sacræ hinc virgines meritò ſanè Numinis honori, pudicitiæque pudendas bacchationes querebantur obiectas: ſed querebātur dūtaxat. Quid enim aliud tentarent, quas virgineus pudor, modeſtiaque Religioſa, ſolo propudiorū huiuſcemodi conſpectu abſterrebat? At inde clamores inconditi, cantus ad omnem obſcenitatem facti viciniam omnem complebant: eaq; quotidie in oculos incurrebāt, quę nō virgineas modò, ſed Chriſtianas quaſcūq; mentes rubore perfunderent. De caſtitate triūphos agi diceres. Fortè per eos dies ad Himanam ſuam venit Auguſta;

Proſtibulum Salſiniæ adiacet:

Digitized by Google

Auguſta imperio euerti- tur:

reique totius facta certior, indignum facinus primùm exclamat: deinde etiam minimè tolerandum arbitrata, proſtibulum funditus euerti, ſoloque iubet æquari. Non tulit factum impurus leno: & vt ſui ſunt impotentia eiuſmodi ingenia, velut in rabiem actus, cum ſuis in vrbem regreditur, complet omnia clamoribus: Publicam libertatem peſſum ire, apertam ab Auguſtâ tyrannidem exerceri; indictâ causâ ſuas ſibi dirutas ædes. Nulla vnquam tam ſordida cauſa, quæ ſuos non repererit patronos. Hæc etiam in plebem pondus, & momentum inuenit ab impudici iſtius hominis autoritate, qui cognatione ciuem quempiam Namurcenſem attingebat, opibus, potentiâque inter ſuos facilè principem. Aequis igitur animis auditur; & qui iam * ab imperio feminæ alieniores erant, oblatam raptantes anſam, multis in ſexus impotentiá publicè, priuatim, in compotationibus, in circulis declamabant. Ita ſuis id artibus ſæpe dæmon euincit, ſed ibi maximè, vbi multitudinis imperitæ valet autoritas, vt ſcelerum turpitudinem homines, quam lõgiſsimè aliàs exterminatam exoptarent, honeſtiore velo diſsimulatam maximâ virium omnium contentione propugnent.

tumultuantur Namurcenſes.

48.

Ca-

CAPVT LII.

Inſtantem cladem præſentit Iuliana; prædicit; & precibus ad Deum fuſis auertere nititur.

INterea loci Salſinienſibus erant lęta omnia. nobiliſsima videbatur parta victoria; eiectus arce ſuâ hoſtis turpiſsimus; reddita ſacris, virtutique ſua pax, & omnis libertas. Si quis in populo motus ferueret, ex vulgi inconſtantiâ mox poſiturus ſperabatur: quæ omnia plurimùm autoritas Cęſarea confirmaret. Vna Iuliana, quæ his ita conſtitutis æternæ Prouidentiæ calculum deeſſe diuinitus acceperat, ceteris exultantibus, acerbiſsimo mœrore conficiebatur, futuraſque clades tacita ſecum deplorabat. Quod profectò cùm vultu ſatis proderetur, admirationem, adeòq; etiam cupiditatem, cognoſcendi tot lacrymarum cauſam, quibuſdam iniecit. Cùmque ex eâ quæſijſſent, ita reſpondit, vt clariſsimè totam malorum omnium, quæ deinde contigerunt, ſeriem præſenſiſſe docuerit euentus: Mihi verò, inquit, quis animi ſenſus eſſe poſsit conſideranti, & velut oculis intuenti calamitatem funeſtam vrbi Namurco imminentem? Ingratiſsimi prorſus animi ſim, niſi tot hominum omnis ordinis, ætatis, ſexus, miſerrimos

Imminens malum præuidet.

prædicit.

rimos caſus deplorem; quandoquidem nobis exulantibus tam ſingularia humanitatis, ac beneuolentiæ officia exhibuerint. At quando multo potiora fuerunt in me, meaſque Salſinienſium merita; quî fieri poſsit, vt futura Cœnobij vaſtitas, ſolitudoque dolorem non incutiat grauiſsimum? Quî fieri poſsit, vt dolores, & lacrymæ, quas Antiſtitæ humaniſsimæ caſus adeò acerbi, quanquam immeriti, ſuſcitabũt, mihi lacrymas, & ſuſpuria non excutiant? Atque vtinam in meliorem Himana incidiſſet ætatem! Eam ſiquidem ex ſingulari Diuinæ pietatis munere nacta eſt indolem, quæ, ſi pace frui licuiſſet, admiſſa in penitiſsima honeſti adyta, admirabili ſe, arctiſsimoq; æternæ Bonitati nexu deuinxiſſet. Animũ

Nota. aduerte, quiſquis hoc legis, & audi: Non facilè in intimam eum ſe cũ Diuinâ Majeſtate familiaritatem inſinuare, qui hominum magnatum neceſsitudine detinetur.

Malum lenire nititur. Ceterùm iſta rerum futurarum cognitio nó inanem Iulianæ mœrorem creabat. Dies, noctesque, Dei bonitatem lacrymis, & precibus amantiſsimis ſollicitabat, vt, ſi immutabili fixum erat decreto, ijs plagis mortales atterere, domumque vaſtare Salſinienſem; at corpora ſaltem integra, animaſque maximè immunes, Antiſtitæ ſibi amiciſsimæ, ſodaliumque omnium ſeruaret: immo verò in vnam ſe mali totius acerbitatem immit-

immitteret; & ſi quidpiam ab omnibus eſſet peccatum, ſola ipſa dextræ vindicis irã ſuſtineret. Ea fuit virginis pietas: ſuumq; procul omni dubio pondus apud pientiſsimi iudicis tribunal inuenit.

CAPVT LIII.

Salſinienſium fuga Iulianam acerbiſsimo dolore percellit.

TVrbæ illæ, quas aduerſus Auguſtam, vt ſuprà demonſtrauimus, Namurci excitauerat impurus iſte ganeo, non, vt ferè fit, temporum lapſu ſeſe remittebant: at verò abibant in ſeditionem apertam: paſſimque voces iactabantur: feminæ tyrannide nihil eſſe aſperius: excutiendum, ſi qua eſſet reip. cura, iugum: arma capienda: ſi virium domi minùs eſſet,* foris eſſe quęrendas. Cùmque Himanâ familiariſsimè vteretur Auguſta; eius conſilio, vel precibus datum nemo dubitabat, vt ædes diruerentur; pluraque alia, quæ perfidiæ ſuæ turbulentiſsimi quique prætendebant, Antiſtitâ autore facta ſpargebantur. quod maximam apud omnes inuidiam, maleuolentiamque concitauit. Eruptura tandem videbatur ſeditio. & quia Salſinia tumultuantibus magis erat obnoxia, quàm arx ipſa, quâ ſe tenebat Auguſta, palam incendia

Erumpũt in ſeditionem Namurcenſes.

49.

Salſiniã cedere virgines iubentur.

dia minabantur Namurcēſes, ſacrilegè perfidum bellum auſpicaturi. Neque contemnendas eſſe minas viſum eſt. Mittit Auguſta, qui ſuo nomine Himanam moneant, adeòque imperent, vt maturè rebellium furori ipſam ſe, ſuaſque omnes ſubducat, recipiatque in tutum. Perculit omnium animos atrox neceſsitas. Fuga fiebat virginũ gynecæo aſſuetarum: ex quo triſtior comploratio, trepidatioque maior oriebatur; ſacra, caraq; omnia relinquebantur hoſtiũ furori, vel polluenda, vel fortaſſe flammis perdenda. At dolorem non parum lenijt ſubmiſſus in præſidium ex arce miles, qui rebellium rabiem, ſi quæ ingrueret, reprimeret, cœnobiumque ab omni vindicaret iniuriâ. Verùm vnde lacrymis ceteræ ſolatium, hinc calamitatem Iuliana creſcere ſentiebat. Neque enim, inquiebat, tam propulſabit hic miles, quàm potiùs inferet vaſtationem: nota eſt militaris inſolentia, cui obuia rapere, abdita eruere, perfringere clauſa, bene obfirmata luſus eſt euertere. Sed leuia ſint hæc, ſi forſitan ſacra pudori, Deoque loca, adytaque etiam ipſa comeſſationibus, libidinibuſque temerentur. Non ex vano timore, leuique coniecturâ hæc complorata fuiſſe docuit euentus. Porrò vbi diſcedendi tempus aduenit, tum demum perturbata rerum facies Iulianam commouit, acremque adeò ipſi concitauit

Dolor Iulianæ.

citauit mœrorem, vt cùm animo primùm comprimere niteretur, ſui deinde impotens, in altos clamores, eiulatuſque prorumperet, eâ contentione, vt venam perfregiſſe credita ſit: mox etenim ore magnam vim ſanguinis eiecit, & reliquo, quod ſuperuixit, tempore ſolita eſt reijcere. Circumſtabant aliæ virgines, quas acerbiſſimus Iulianæ dolor, ſui cogebat obliuiſci, multiſque afflictâ leuare laborabant: Turbas omnes, affirmabãt, mox autoritate, potentiâque Auguſtæ componendas; reductâque tranquillitate futurum, vt non multo pòſt tempore ſuis omnibus reſtituerentur. Vtinam verò, Iuliana reſpondebat, hoc oculis intueri aliquando daretur! * Ego ſanè non exſtimo, ſi modò fugimus, & in diuerſa diuellimur, niſi ſeram, plurimiſq; expetitam votis pacem vobis reddendam. His omnibus profectò patet, decretorum Diuinorum conſciam frequentiſsimè fuiſſe Iulianam. Sub idem tempus Leodij cuidam inter Diuinorum meditationem, fortè venit in mentem Iulianæ, cùm quâ non vulgaris iam dudum interceſſerat neceſsitudo; ſimulque mentem is inceſsit dolor, qui vix tolerari poſſe videretur. Statimque ab oratione virum quempiam probum, ac ſacerdotem ad ſe venientem rogat etiam atque etiam, Iulianam Superis commendet vel animam agentem, vel certè in ſummis collu-

creſcit ex præuisâ exilij diuturnitate

50.

id ipſum Leodij innoteſcit.

collučtantem anguſtijs. Paucis pòſt diebus venerunt ab Antiſtitâ Salſinienſi litteræ, quibus certò compertum eſt, eodem die, horâ, adeòque temporis articulo id eueniſſe Leodij, quo Namurci Iuliana tam miſerum in modum confličtabatur.

CAPVT LIV.

Ab Antiſtitâ Salſinienſi Foſſas deducta, humaniter excipitur.

RElinquerat iam Himana Salſiniam ingenti ſuâ, ſuarumque omnium comploratione: quas pro temporum calamitate magis, quàm conditionis dignitate, quàm maximè potuerat prouidè, dimiſerat in diuerſa loca. Neque in tantâ rerum perturbatione, Iulianæ curam omnem abiecit: verùm eius animum, virtutemque in dies magis admirata, ſibi comitem adiunxit, perduxitque Foſſas (prouinciæ Leodienſis oppidum eſt proximum, Moſam inter Sabimq; ſitum) ad virum inſigni morum integritate præditum, eodem in oppido Canonicum, muſicæque præfectum, Cantorem hodie appellamus. Hic lætus ad ſe diuertiſſe talem hoſpitē, ſibi ſanctimoniæ famâ dudum notiſsimam, eoque nomine ſtudioſiſsimè commendatam ab Antiſtitâ: domo cum ſodali Ermentrude recepit,

Foſſas deducitur.

Cantor humaniter excipit.

pit,& omnia, quę potuit, humanitatis Chriſtianæ officia peramanter exhibuit: victū, qui ſatis eſſet, attribuit ex ſuo. denique pro ſuo ipſius in virtutem affectu, munificentiam, pietatem, venerationemq́; ſanctis ſüis hoſpitibus debitam, quoad potuit, nunquam paſſus eſt deeſſe. Non multos abhinc dies viuere deſierat eius ſoror, femina in paucis ſtudioſa honeſti, & ex earum genere, quas clauſas appellamus. Huic olim erexerat tuguriolum, de more adhærens ædi ſacræ, quod iam poſt mortem ſororis deijcere meditabatur: ſed hac abductus ſententiâ, aduenienti Iulianæ obtulit in habitationem. Admiſit illa perlubenter, vt quod erat vſibus eius, & vitæ inſtituto accommodum. ſolatijq́; nonnihil etiam hinc accipiebat, quod ex Cantoris compererat ſermone, collatis temporibus, in id ipſius ſororem eodem ſe incluſiſſe die, quo in ſuū Leodij ad S. Martini Eua; quam, vt antè meminimus, in Chriſto Iuliana genuerat. Illud igitur, ſicubi neceſſe erat, reparatum, rebuſq́ue aptè inſtructum neceſſarijs ſubijt Iuliana: in hoc pari ſemper Cantoris munificentiâ, caritateque, vixit: in hoc vitam mortalem peregit: ex hoc tranſijt ad immortalem. Iſtud iam aggredimur. Priùs tamen, quiſquis hæc legis, memoriâ repete totum eius vitæ curſum. Numquid eum deprehendis, qui fuit Cælitum omnium, *Mira Crucis dignitas.*

dum in viuis agerent? qui fuit ipſius Chriſti? Via, quæ ducit in cælum, certiſsima eſt per anguſtias & calamitates, per Crucem ipſam. Ecce virgo ſanctiſsima, nullo ſuo crimine, iam ſextùm exul, in tuguriolum, procul domo, compingitur. Neque tamen vſquam deeſt ſupremi Numinis bonitas ſemper inexhauſta: ſuos vbique virtuti radios addit, quorum fulgore perſtricti hominum oculi, condignam deferant venerationem.

CAPVT LV.

Lethali morbo correpta, intimorum amicorum expetit colloquium: fruſtra.

Morbo corripitur.

TRiſtes, diuturnoſq; caſus, quibus exercita, colluctataque totius vitæ decurſu, ſuum quàm proximè ſecuta ſponſum ſemper fuerat Iuliana, concludere tandem, promeritâque donare palmâ ſtatuerat iuſtus iudex; cùm in eam incidit ægrotationem, quæ debitam cælis animam paullo poſt terris eripuit. Ipſa futuri non ignara, Ioannis de Lauſanâ Canonici ad S. Martini Leodij (quocum ſuauiſsimam ei fuiſſe neceſsitudinem iam ſæpe diximus) ante diem extremum ſibi copiam fieri ſummis votis expetebat; quærebatque identidem ex aſſidentibus, nullóne pacto fieri poſſet, vt adeſſet.

amicorũ cõgreſſum deſiderat;

adeſſet. Verùm neque Ioannes, neque familiarium alius toto morbo Leodio adfuit, vel quòd eadem, quæ ſæpe aliàs, corporis infirmitas crederetur; vel etiam * itinerum pericula deterrerent. Sanè olim cuidam ex familiaribus aſſeruerat, ſub extremum vitæ tempus, nullam ſibi futuram amicorum eorum poteſtatem, quibus mentis arcana familiariùs credidiſſet. Hoc nihilominus in votis vnicè modò habebat: quòd, vt quidem creditum eſt, admirabiles in ſe Diuinæ bonitatis fauores patefacere animus eſſet. Totâ vitâ, ex ſanctiſsimâ animi demiſsione, Chriſtianâque modeſtiâ, ſua ſemper omnia occuluerat maximo ſtudio: Cornelianaſque adeò virgines, exilij ſui ſocias celauerat ſemper, alioqui cupidiſsimas. E quibus aliquando cum intellexiſſet ſperare illas, futurum vt ante diem ſuum, omnia liberiùs aperiret, vnde fructum optandum ipſæ referrent: Immo verò, inquit Iuliana, ſi quid eſt in me, quod ad rem veſtram facere poſſe videatur, totum id ſtudioſè vobis colligite: extremâq; vitâ nihil amplius à me, quàm modò, exſpectate. Ita, quoad vixit, ſemper ſenſit Iuliana. Hoc nihilominus morbo, ſingulari quadam Numinis impulſione (vt mihi ſanè perſuadeo) viſa eſt ad Dei gloriam, vel vtilitatem hominum, mentis arcana velle pandere, ſi quos deſiderabat, nacta fuiſſet

Fruſtra.

51.

Amauit ſemper neſciri.

 inter-

interpretes. Quanquam enim ægrotanti nunquam defuerint, quibus ob amicitiam, vitæque honeſtatem non parum tribueret; modeſtus tamen aliquis pudor abſterrebat integrâ, plenâque narratione rerum, quas, qui totam familiariùs vitam nouiſſent, ex paucis verbis collegiſſent faciliùs, & minorem dediſſent omni dubitationi locum. Verùm ex ijs, quos exſpectabat cupientiſsimè, cùm adueniret nemo, Ermentrudem aliquando ſodalem ſuam, remotis arbitris ad ſe propiùs aduocauit, arcana quædam de morte ſuâ ei creditura. Illa verò cùm ad primam de morte vocem, animo teneriori muliebriter in lacrymas prorumperet: Animum mihi concuſsiſti, ſoror mea, inquit, importunis iſtis lacrymis. Ego verò hac de re in poſterum nullum tibi verbum. Voluit aliàs (quam ob cauſam non liquet) ſcribam ſibi publicum adeſſe. in oppido fortè nullus inueniebatur: inductus eſt adoleſcẽs, qui probè litteras efformaret: ætatem illa cauſata, re dimiſit infectâ. Hæc cum hominibus tentauit; expediuit nihil. at deinceps perſequar, quæ cum Cælitibus, & pro Cælitibus perfecit.

CAPVT

CAPVT LVI.

Ipſo Paſchatis die ad templum deducta San-ctiſsimo EVCHARISTIAE *viatico munitur: domiq; inungitur Oleo ſacro.*

ACerbitate longioris morbi conſumebantur corporis vires; ſed animum obfirmabant Diuina: quorum meditationi tanto inſiſtebat ſtudio, quantum vix ferre ſanitas integra potuiſſet. Quemadmodum ſcilicet rerum naturalium impetus eo concitatior eſt, quo fini propior: ita, non aliter atque ſi naturæ quidam impetus Iulianam in cæleſtia tuliſſet, cęlo iam proxima viuidiores animo faces euibrabat. Quos profectò quondam ardores, quoad vixit, cupidè ſemper pro ſuâ modeſtiâ compreſsit: at modò animus, velut ſtrato corpore fortior, ſolitiſque legibus teneri dedignatus, erumpentibus ſubinde ſe vocibus prodebat: Domine, *quando liberabis me de corpore mortis huius?* Quando gratum illud aderit tempus, mihi tamdiu optatum? *Quando deſiderium animæ meæ mihi tribues?* Cùmque inter hęc ſubderet aliquando, qui aderant; forti, lætoque eſſet animo, breui enim morituram: *Non moriar, non moriar, ſed viuam:* inquiebat illa. Itaque quanquam in terrâ *Sponſi ſui deſiderio æſtuat.*

interpretes. Quanquam enim ægrotanti nunquam defuerint, quibus ob amicitiam, vitæque honeſtatem non parum tribueret; modeſtus tamen aliquis pudor abſterrebat integrâ, plenâque narratione rerum, quas, qui totam familiariùs vitam nouiſſent, ex paucis verbis collegiſſent faciliùs, & minorem dediſſent omni dubitationi locum. Verùm ex ijs, quos exſpectabat cupientiſsimè, cùm adueniret nemo, Ermentrudem aliquando ſodalem ſuam, remotis arbitris ad ſe propiùs aduocauit, arcana quædam de morte ſuâ ei creditura. Illa verò cùm ad primam de morte vocem, animo teneriori muliebriter in lacrymas prorumperet: Animum mihi concuſsiſti, ſoror mea, inquit, importunis iſtis lacrymis. Ego verò hac de re in poſterum nullum tibi verbum. Voluit aliàs (quam ob cauſam non liquet) ſcribam ſibi publicum adeſſe. in oppido fortè nullus inueniebatur: inductus eſt adoleſcés, qui probè litteras efformaret: ætatem illa cauſata, re dimiſit infectâ. Hæc cum hominibus tentauit; expediuit nihil. at deinceps perſequar, quæ cum Cælitibus, & pro Cælitibus perfecit.

CAPVT

CAPVT LVI.

Ipſo Paſchatis die ad templum deducta Sanctiſſimo EVCHARISTIAE *viatico munitur: domiq; inungitur Oleo ſacro.*

ACerbitate longioris morbi conſumebantur corporis vires; ſed animum obfirmabant Diuina: quorum meditationi tanto inſiſtebat ſtudio, quantum vix ferre ſanitas integra potuiſſet. Quemadmodum ſcilicet rerum naturalium impetus eo concitatior eſt, quo fini propior: ita, non aliter atque ſi naturæ quidam impetus Iulianam in cæleſtia tuliſſet, cęlo iam proxima viuidiores animo faces euibrabat. Quos profectò quondam ardores, quoad vixit, cupidè ſemper pro ſuâ modeſtiâ compreſsit: at modò animus, velut ſtrato corpore fortior, ſolitiſque legibus teneri dedignatus, erumpentibus ſubinde ſe vocibus prodebat: Domine, *quando liberabis me de corpore mortis huius?* Quando gratum illud aderit tempus, mihi tamdiu optatum? *Quando deſiderium animæ meæ mihi tribues?* Cùmque inter hęc ſubderet aliquando, qui aderant; forti, lætoque eſſet animo, breui enim morituram: *Non moriar, non moriar, ſed viuam:* inquiebat illa. Itaque quanquam in terrâ

Sponſi ſui deſiderio æſtuat.

corpore iaceret, in cælis mente ſpatiabatur; & quibus mox erat fruitura, prælibabat delitias. Totà cum ſponſo erat; neque acutiſſimus, quo exercebatur, oris dolor à perſoluendo precum Canonicarum penſo abſterrebat. Hac ratione toto ieiunij verni tempore, quam Quadrageſimam appellamus, collectum ſeuero ſilentio retinuit animum; vt iam Deo ſuo frui videri poſſet, niſi mortalitatis admonuiſſet corporis infirmitas. quæ ſanè peropportunam illis diebus Iulianæ præbuit occaſionem, ſponſo ſuo quàm ſimillimam ſe exhibendi. Dies Paſchatis aderat, quo Chriſtum morte, inferiſque triumphatis victorem veneramur: primo manè lectulo erepſit, vt vltimùm (ita pridie monuerat Ermentrudem) ad ædem ſacram adiret. Afflicto corpori vires animus iam fermè cæleſtis addebat. Conſtanter, nulloque ſigno fatigationis edito, *Matutinum*; (vt loquimur) *Laudes, ac omnes horas*, ex Eccleſiæ more celebrari ſolitas audijt. Auguſtiſsimũ CORPORIS CHRISTI Sacramentum in viaticùm ad iter immortalitatis, ex hoſpitis ſui Cantoris manu ſuſcepit, eâ veneratione, ardoreq; mentis, qui verbis nequeat explicari. At vel hinc aliquid colligamus. indignum rata, ſi Deum ſuum ad ſe deferri ſineret; ad aram languidum corpus trahere maluit; ac priori deinde loco reſtituta, omnem laſsitudinem vel diſ-

Totâ quadrageſimâ ſibi ſilentium indicit.

Die Paſcha in tẽplo Viaticum ſumit.

Digitized by Google

diſsimulans, vel ſuperans, infractâ animi fortitudine perſtitit ad occidentem vſque ſolem, eodē ſemper veſtigio. Tum demum deducta domū, ſacro voluit Oleo inungi. Factum eſt: ſed tanto in eâ pietatis ſenſu, vt in lacrymas tota diffluere videretur, obſtupeſcente admodum Sacerdote; ſed tum maximè, cùm ſingulas Vnctiones votis cōceptis, & precibus ipſa proſequeretur aptiſsimis. *Sacro Oleo inungitur*

CAPVT LVII.

Diuinitus edocta diem ſuum, obit in conſpectu Sacroſanctæ EVCHARISTIAE.

CHriſtiano omni inſtructa commeatu Iuliana, profectionis ſignum auidiſsimè exſpectabat, immo exoptabat; quando die Mercurij proximo, ſub noctem deficientibus ſubitò, quæ ſupererant, viribus, viſa eſt animam agere. Aderat Antiſtita Salſinienſis, maximâ ſollicitudine in omnes intenta caſus, vt morientem videret, quam hactenus ſanctitatis nomine ſemper ſuſpexiſſet. Quamobrem hanc ei ſupremam eſſe noctem arbitrata, totam vigilijs apud ægrotam traducere parabat: cùm Iuliana tāto ſe Antiſtitæ officio indignam profiteri; rogare etiam, atq; etiam ſe ad ſe reciperet: non defuturos, qui euocarent, ſi quod ingrueret

grueret periculum. Sed periculum iam eſſe præſens Himana ſibi perſuadebat, ideoque nullis euinci ſe vel precibus, vel rationibus patiebatur, vt à lectulo veſtigium moueret. Donec Iuliana pro tenero illo ſuo in ipſam affectu, ne ſuâ causâ tot ſubiret incommoda, ſeriò pronuntiauit, neq; iſtum, neque alterum diem ſibi fore vltimum. Sanctè id dictum accepit Himana, eâdemque fide, quâ pleraque alia, quæ comprobauerat euentus. pedem ergo extulit. Deficiebat ſenſim Iuliana. & iam dies Iouis illuxerat, cùm vires deeſſe ſenſit, quibus precum Canonicarũ penſum exſolueret, quod adhuc ſtudioſè confecerat. & ne quidquam vltimo vitæ articulo de ſuo in Diuinas laudes affectu remittere videretur, voluit eſſe, qui legendo præirent; ipſa quà poſſet, ſequeretur. Cùm tandem neque id ipſum toto virium conatu aſſequeretur; identidem iterabat: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Die Veneris primâ luce, cum aliquot è ſuis virginibus aduenit Himana, aderat Ermentrudis, Cantor, paucique alij. Viſa eſt omnibus vitam diutius non poſſe prorogare. Ergo ad ægram Himana: Quando, inquit, mea Iuliana, morbo præpediris, quo minùs ſponſo tuo, ex ſacroſanctâ EVCHARISTIA reficiaris, eum tibi præſentem ſiſti curabimus, quo te, tuoſque poſtremùm in hac vitâ commendes. At illa:

Diem ſuũ prædicit:

Ne id fiat, obſecro, mea Domina; æquum enim cenſere nequeo, vt ad vile mancipiũ Rex æternæ Majeſtatis deferatur. Aequiſſimum verò eſt, vt ante horam vltimam Deum, ac Reparatorem hominũ videas iterum, adoreſque: Subdit Himana. Rurſumque Iuliana: Quid neceſſe eſt, eum denuo hîc velatum intueri, quo mox retecto ęternùm frui dabitur? Cùm nihilominus è ſacris Virginibus vna ſubieciſſet, Antiſtitæ ſtandum eſſe arbitrio; in eandem extemplo tranſijt ſententiam: parendi ſtudio nimirum eò deducta, vnde ſacroſancto Myſterio debita reuerentia meritò auocaret. Quanquam etenim à pleriſque ita hactenus factitatum videatur; ex veneratione tamen eiuſmodi conſpectu abſtinere, magis decere iam cenſuit * Eccleſiæ Senatus. Ergo ſub horam ante meridiem nonam, cùm auguſtum, & VEN. SACRAMENTVM inferret Cantor, audijt ſanctiſsima virgo pulſum æris campani, quod more Chriſtiano præferri ſolitum eſt: & derepentè velut vna de numero prudẽtum, obuiam ſponſo exitura, animo ſupra corporis ſemianimis vires aſſurgente, ſuper lectulum in pedes ſe dedit, ac ſtatim reſedit ad omnem venerationem compoſita. Ingreſſus Cantor, ſacrâ pyxide apertâ, Venerandam, Cæleſtemque HOSTIAM oſtentans, ait: En tibi, Iuliana, Deum, Seruatoremq; tuum, qui tui causâ

52. *Præter eius mentem ad eã defertur Ven. Sacramentũ, ſummâ veneratione ſalutat.*

 naſci,

naſci, tui cauſâ dignatus eſt denaſci, eũ ſupplex roga, omnium à te hoſtium propulſet inſultus, incolumemq́; ad beatã immortalitatem perducat. Iuliana oculis in cariſsimũ ſponſum amantiſsimè defixis reſpondit: Ita mihi, Dominæq́; meæ bonus Deus faueat. Vltimo etiam ſpiritu acceptorum ab Antiſtitâ beneficiorum gratam memoriam teſtata. Quo dicto ſuauiter in ſubiectum puluinar caput reclinans, *obdormiuit in Domino.* Sexageſimum ſextum ætatis annum agebat: à Chriſto nato ducenteſimus ſupra milleſimum, & quinquageſimus octauus vertebatur. Nonis Aprilibus, ante meridiem horâ nonâ, terras, mortalitatemque deſeruit anima illa feliciſsima, cælumque, ac veram vitam attigit, ſponſum ſuum *facie ad faciem* viſura, amaturaque æternùm, quem velo celatum ſacramentali adeò tenerè dilexerat.

Antiſtita bene precata moritur.

CAPVT LVIII.

Sanctum B. Virginis corpus defertur Villarium in Brabantiam, ibidemq; ſepelitur.

APud Sanctam Virginem, dum viueret, ſæpe precibus inſtiterat Himana, vt Salſiniæ corpus ſuum condi decerneret: at ipſa futuræ vaſtitatis preſaga nunquam potuit perſuaderi; prætulitq; Villarium. Nobile

bile eſt diſciplinæ item Ciſtercienſis aſceterium, in finibus Brabantiæ, Foſsis ſex leucarum interiectu diſsitum. Supplex euicit, vt ſtatim à morte, Gobertus accerſeretur, qui ſepulcri curam ſuſciperet. Erat * Gobertus in eodem cœnobio, vitæ ſanctimoniâ, religioneque nobilior, quàm genere. quanquam enim è primâ Franciæ nobilitate oriundus, opibus olim, autoritateque claruiſſet; non inferiora deinde S. Bernardi ſecutus ſigna, ex generoſo ſtemmatis, opum, gloriæque contemptu, illuſtrior euaſerat. Atque is, quemadmodum ſimilitudine morum capiuntur animi, dudum arctam, ex mutuæ virtutis admiratione, cum Iulianâ contraxerat neceſsitudinem. Hunc ergo Himana, quò vltimam amicæ voluntatem exſequeretur, Sanctâ virgine defunctâ, mox euocat. & interea dum adeſſet, ad ſacrum ipſa corpus, cum ceteris, qui aderant, ex more ſupplicationes inſtituit, & in Sabbathum pernoctat. Sole orto illatum conditorio ſanctum corpus in ædẽ Foſſenſem effertur, iuſtaque ritu Chriſtiano perſoluuntur. Peractis omnibus aderat Gobertus, qui ſanctas felicis animæ exuuias in currum impoſitas Villarium deuexit. Himana cum ſodalibus, ac Ermentrudis iſtud vel amicitiæ, vel ſanctitati cenſuerũt tribuendum, vt ad id loci venerationis ergò comitarentur. Itaque monaſterij portam

Gobertus Villario aduocatur

53.

Iuſta Foſſis perſoluuntur.

Corpus effertur comitante Antiſtitâ:

tam cùm attigiſſent, currum Himana ſiſtit, aperitque conditorium, cùm vt ex currus ſuccuſsione inuerſum fortaſſe ſanctum corpus, decentiùs componeret, tum vt poſtremum vale faceret. Decentem, immotamq; omnino poſitionem deprehendit, vt ſuauiter dormire potiùs, quàm obijſſe iudicari poſſet: Ermentrudi etiam in faciem fixiùs intuenti viſa eſt amanter ſubridere: moxq; obortis ex animi quâdam dulcedine lacrymis, iter reuerterunt. At Villarienſes Cœnobitæ obuiam egreſsi, ſingulari ſtudio, ac veneratione ſacrum depoſitum excepe- runt, intulerunt domum, totamq; noctem religioſè circumfuſi, hymnis ſacris, pſalmiſque decantandis conſumſerunt. Vt illuxit, iuſta iterum Chriſtiano ritu perſoluta ſunt. Sub hæc Sacerdos quiſpiam inuocatus, atque inexſpectatus, ſed Deo ita prouidēte, aduenit; qui, ne quid ad funeris deeſſet celebritatem, verba habuit, vt facundus erat, diſertiſsimè de ſacroſancto VEN. EVCHARISTIAE myſterio, quod ſemper præcipuo quodam amore proſecuta Virgo Beata, ſingulari in Eccleſiâ honore cumulare totis viribus contenderat. Denique omnia ritè exſecuti Villarienſes, Virgineas exuuias inter ſanctiora cœnobij pignora condiderunt: non paruum profectò iſtius Ordinis ornamentum: quandoquidem id beneficium Dei benignitas largita ſit,

Villarienſes reuerenter excipiūt:

inſigni honore ſepeliunt.

Ciſterciēſis Ordinis laus.

ſit, vt Robertus Epiſcopus, qui omnium primus tam celebre feſtum inſtituit, amore tanto in hunc ordinem ferretur; condiq̃ue apud eos voluerit: & ſanctiſsima ipſa Virgo Iuliana, habitationem ſibi quartùm elegerit in ſacris eiuſdem diſciplinæ gyneceis; Antiſtitæ item Ciſtercienſi ſolemni ſe ritu ſubdiderit: quod forſan quibuſdam occaſionem dederit aſſerendi illius eam fuiſſe inſtituti; quod ſuprà iam improbauimus. Vltimòque tandem in alio eiuſdem diſciplinæ cœnobio condi amauerit. Argumentum mihi quidem admodum probabile rarioris cuiuſdam religionis, quâ, qui hoc vitę inſtitutũ ſectabantur ijs temporibus, auguſtiſsimum CORPORIS & SANGVINIS CHRISTI Sacramentum coluerint: &, vt poſteri à maiorum exemplis nihil recedãt, calcar acerrimum.

CAPVT LIX.

Miraculis poſt mortem clareſcit Iuliana.

MOrtales in terris aliquem, etſi non parem meritis, ſanctæ Iulianæ honorem deferebant: at in cęlis Deus immortalis immortali gloriâ ſponſam ſuam cumulatiſsimè beabat: quod inter homines etiam admirandis eſſe voluit prodigijs teſtatum.

Pri-

Nuntiatur diuinitus Iulianam cælo receptam eſſe.

Primum id eſto. Cuidam ſub ſanctiſsimum Miſſæ Sacrificium, fortè ex memoriâ dulciſsimæ conſuetudinis olim cum B. Iulianâ initæ, quam mors iam diſſoluiſſet, lacrymæ ſubitò fuerant obortæ. Supplex ergo, maximâque totius animi contentione Diuinam bonitatem rogat, & obteſtatur, ſibi ſignificaret, ſi quibus forſan hominum ſubſidijs egeret Iuliana. Ecce tibi derepentè in animum velut infundi ſenſit, quod de B. Agnete concinit Eccleſia: *Ecce quod concupiui, iam video: quod ſperaui, iam teneo. ipſi iuncta in cælis, quem in terris poſita, totâ deuotione dilexi.* Qui quaſi radius, omnes in eius mente dubitationis tenebras diſsipauit.

Conuerſum Herckenrodenſem herniâ liberat,

Alius Ciſtercienſem diſciplinam Herckenrodæ amplexus, & ex eorum ordine, quos vocant Conuerſos, ex herniâ tantis doloribus conflictabatur, vt non pedibus modò iter facere, at vix equo vehi poſſet, ad rem domus familiarem, vbi occaſio dediſſet, curandam. Venerat is tamen aliquãdo Villarium, cùmque multa de ſanctitate virginis inaudiſſet, ad eius ſepulcrum adit, &: Rogò te, B. Virgo Iuliana, inquit, quãdo apud Deum autoritate tantâ pollere diceris, aliquod doloribus meis leuamen impetra. Dixerat, & ſtatim omni ferme ſolutus ægritudine, in procurandis deinceps Herckenrodanæ familiæ negotijs, ac itineribus

ribus quibuſcumque faciendis ſe præbuit expeditum.

Religioſæ duæ virgines dolorem ex dẽtibus acerrimum, vt ſolet, perferebant. audiunt ſudariolũ, & alia quædam linea, quibus olim vſa fuiſſet Iuliana, ſtudiosè, & cũ aliquâ veneratione à quodam aſſeruari. Veniunt, debitâ religione ſudariũ genis admouẽt, & ſimul omnis dolor abſtergi viſus eſt. *Sanctimoniales duas dentium dolore,*

Alteri cuidam ſanctitate apud Deum, & apud homines autoritate ſpectabili, quondam interceſſerat cum Iulianâ familiaritas. Iam ex morbi moleſtiâ, quod non admodum eſt inſolens, neſcio quo vini, ciborumque delicatiorum deſiderio æſtuabat, neque ſe facilè reducebat ad mentis æquitatem, ac temperantiam. Ergo pridie feſti ſacroſancti CORPORIS CHRISTI, dormienti viſa eſt adeſſe S. Iuliana, & monere, pararet ſe in craſtinum ad recipiẽdum pro dignitate beneficium, quod liberalitate Diuinâ conferretur. Monenti parendum eſſe cenſuit, in eoque omne, quà potuit ſtudium, & induſtriam collocauit. Inſequenti die, dum in templo Sacrificium peragitur, & rerum Diuinarum commentationi vacat: En ſubitò rapi in cælos ſibi videtur: vbi Chriſtus Seruator noſter, idem & ſummus Sacerdos, eo ipſo cultu, ornatuque, quem vſurpat, præcipitque Eccleſia, ſacris operabatur, adſtante S. Virgine Iulianâ. *quendam alterum intemperanti delitiarum deſiderio.*

cùmque

Digitized by Google

cùmque propiùs acceſsiſſet, è calice mirandi operis, ſuauiſsimũ aliquod nectar Chriſtus propinauit. Non inane viſum fuit. Vt ad ſe rediјt, animus tantâ dulcedine manſit delibutus, vt omnia iam ei deſiperent terræ vel eſculenta, vel poculenta: omniq; pulſo turpiore deſiderio, ad cæleſtes dumtaxat delitias anhelaret.

CAPVT LX.

Vrbanus quartus, Leodіј quondam Archidiaconus, Pontifex ſummus creatur.

EXigua pro noui feſti ſanctione poſita videri poterant fundamenta, ſi mortalium rationes, & cõſilia ſpectaremus. Exul obierat rei totius incentrix Iuliana: Eua ſupererat, quæ vel gratiâ, vel precibus ſola fouere crederetur paucos mortales, eoſque non maximi nominis; adeò vt eius morte omnia ruitura non immeritò timerentur, ſi hominum ſolo conſilio fuiſſent inchoata. At vide, quàm ſuauiter, fortiterque ſapientiſsima Numinis prouidentia cœptum vrgeat. Iacobus Pantaleon Trecenſis, olim, vt ſuprà memorauimus, in Eccleſiâ Leodienſi Archidiaconus, iudicauerat cum aliјs aliquot ſapientibus viris, poſſe ad Dei gloriam, Eccleſiæque ſplendorem non minùs, quàm vtilitatem, huiuſcemodi feſtum decerni.

Iacobus Pãtaleon Archidiaconus Leodienſis.

Digitized by Google

cerni. Qui deinde ob egregiam virtutem, eruditionéque, ab Innocentio quarto Legatus in Poloniam, Pomeraniam, Pruſsiam, Liuoniam, vniuerſamque Germaniam miſſus eſt, cùm vt turbatũ Poloniȩ ſtatum componeret, tum vt aduerſus Fridericum exiimperatorem, iuſti non minùs, quam Apoſtolicæ autoritatis hoſtem iuratum, auxilia corrogaret. Vtrumque feliciter confecit. Epiſcoporum concilio Vratiſlauiam conuocato, obtinuit vt ex vniuersâ Poloniâ in triennium quintam Eccleſiaſticorum omnium vectigalium partem Pontifici pẽderent. Cùm eâ verò ætate Poloni vernum ieiunium, quod Paſchati præmittitur, ad totas nouem hebdomadas producerent, indulſit, vt ſtatuto dumtaxat in Eccleſiâ reliquâ tempore ieiunarent. Sinceram præterea pacem confirmauit inter Suentopelcum Pomeraniæ Principem, & Teutonicum Crucigerorum equitum ordinem, qui ſub ea tempora non feliciter minùs, quàm fortiter rem Chriſtianã promouebat. Legatione igitur Pontificiâ cum dignitate functus, infulâ Virdunenſi decoratus eſt. Quod munus cùm magnâ omnium approbatione impleret, ab Innocentio quarto, non longo pòſt tempore iuſſus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, ſub annum Chriſtianum milleſimum ducenteſimum quadrageſimum ſeptimum. Sed altiores honores

Legation in Germaniâ & ſeptẽtrione fungitur,

cum laude:

fit Epiſcopus Virdunenſis,

deinde Patriarcha Hieroſolymitanus,

res eius virtus poſtulabat. Anno huius ſeculi ſexageſimo primo, Româ Viterbium exierat Alexander quartus, tum Pontifex, vt grauia illa, totiq; Reip. Chriſtianæ pernicioſa, Venetos inter Genuenſeſque diſsidia componeret: ſed ibidem, dum res trahitur, diem ſuum obit. Et ecce neſcio quis genius vbique turbas ciet: Romani libertatis auidi, res nouas moliuntur: eamque ob cauſam Viterbij, Alexandro ad S. Laurentij condito, Cardinales ibidem ad alium ſubſtituendum conueniunt. qui etiam dum inter ſe diſsident: tandem eodem anno, 4. cal. Sept. Ioanne Caietano Vrſino, qui vnus inter ceteros autoritate, potentiâque pollebat, adnitente, ſuffragia omnes conferunt in * Iacobum Pantaleonem Patriarcham Hieroſolymitanum, fortè tum ob negotia quædam Syriæ procuranda Viterbij agentem. Ita ſutoris veteramentarij, vt ferũt, filius, adiunctâ primùm Iuriſprudentiæ Theologiâ, Trecis in Patriâ ſuâ Curionem egit, ac deinde Canonicum: pòſt ex Archidiacono Leodienſi ad Virdunenſem euectus eſt Epiſcopatum. tandem cum Hieroſolymorum eſſet Patriarcha, ad eum pertigit apicem, qui in terris vnum ſupra ſe Deum agnoſcit.

Poſtremò Pontifex creatur. 54.

Ca-

CAPVT LXI.

Rogante Henrico Epiſcopo Leodienſi Feſtum CORPORIS CHRISTI *confirmat Vrbanus: & Leodij per totam Diœceſim celebratur.*

MAgna omnium Ordinum gratulatio Leodij facta eſt, aduenientibus nũtijs de Pontificatu Vrbani. Decus publicũ ſpectabant alij, quod Eccleſiæ Leodienſi obtingeret, ob alumnum in Eccleſiæ caput educatum: alij priuatum bonum, rati, ſi quid poſceret occaſio, veteris amicitię momentum inane non futurum, apud eum, qui cuncta poſſet. * Sed Eua, quæ vnam ſacroſancti huius feſti propagationem cordi haberet, accepto hoc nuntio reſpirare, & in nouam ſpem erigi viſa eſt. Canonicos ergo ſollicitat ſibi familiariores, atque ſtudioſiores ſui propoſiti, vt perſuaſione Henricum Principem impellerent, ad poſtulandam ſanctiſsimi Feſti confirmationẽ. Exiſtimabat enim nõ importunè ſummo Pontifici in memoriam reuocatum iri, quod ipſe Leodij magnâ propenſione quondam approbaſſet: ipſumque in illius Eccleſiæ gratiam, cuius pars olim fuiſſet, non difficulter aliquid daturum. Hoc à ſe euinci non grauatè paſſus eſt Princeps Henricus

55.

Euâ adhortante, petit Princeps Leodienſis à Pontifice confirmari Feſtum.

Guelder, ſiue iam pluribus in ſententiam ſaniorem ſenſim abeuntibus, eorum gratiæ, religionique aliquid putauerit eſſe tribuendum; ſiue occupandum Pontificis animum cenſuerit, quem in eam partem proprio animi ſenſu ſatis inclinare, ſibi perſuaderet. Quare litteras ad Pontificem ſcribit gratulatorias, quibus felicem Eccleſiæ totius gubernationem precatus, ſummis precibus rogat, vt quod ad celebrandam VEN. EVCHARISTIAE primam originem, meritò feſtum indici poſſe, quondam ipſe cenſuerat; quodue Roberti Principis autoritate decretum, conſtanter, ac pijſsimè, magnoque Diuini honoris incremento, pluribus annis decurrentibus, Martinianũ adhuc Collegium retinuerat, Apoſtolicâ in poſterum autoritate, tota quà patet Diœceſis amplecteretur. Gratiſsimæ Pontifici litteræ fuerunt; & qui ex veteris amicitiæ memoriâ, lubens Eccleſiæ Leodienſi quiduis indulſiſſet, id ſe rogari lætus audijt, in quod animo toto propendebat. Annuit igitur, adeòque hortatus eſt Diœceſim vniuerſam Leodienſem ad hoc feſtum ſummâ veneratione celebrandũ. Quæ quidem huiuſcemodi dudum conſilijs agitata, poſt longas, graueſque contentiones, cùm in ſanctiorem paulatim ſententiam antea deſcendiſſet, non parum excitata Martinianorum Canonicorum exemplo, ſanctiſsi-

confirmatur:

ctiſsimum hoc inſtitutum volens, lubenſq; amplexata eſt. Iam enim compertum erat, magnâ Diuini honoris amplificatione, cõmodoque bonorum omnium, totos ſedecim annos retentum fuiſſe. at contrà grauiter luiſſe, triſtique, & inopinâ frequenter morte correptos fuiſſe, qui pijs cœptis infenſiùs obſtitiſſent. Cùm igitur Vrbanus inito ſtatim Pontificatu, ſiue exeunte ſeculi anno ſexageſimo primo, feſtum approbaſſet; * ſtato die inſequentis anni, ceteriſque deinceps labentibus, Leodij, ac per totam Diœceſim, magnâ omnium alacritate, religioneúe celebratum eſt. *Leodij celebratur* 62.

CAPVT LXII.

Vulſinijs mirum mirandum proferẽdo per totam Eccleſiam feſto præbet occaſionem.

ANguſtis terminis feſtum adeò nobile Diœceſis Leodina definiebat; quod in amplius proferre, ad illuſtriorem Sacroſancti CORPORIS, SANGVINISVE CHRISTI gloriam, admirabili portento ſapientiſsima Dei prouidentia decreuit. Anno poſt Chriſtum natum ducenteſimo ſexageſimo quarto ſupra milleſimum, Vulſinijs (Tuſciæ oppidum eſt in agro Vrbeuetano) Sacerdos aliquis ad aram ſacris operabatur in ſanctæ Criſtinæ; & ecce ſacroſancta

ſancta verba vix effatus, quibus in altari Chriſtus ſiſtitur, ſecum tam auguſti * Myſterij veritatem in dubitationem reuocat, neque ſibi perſuadere poteſt, tantam ibi reuera fieri mutationem, cuius nullum omninò veſtigium appareat. Cùm ſubitò (ita mutantem ipſum ſtupendo miraculo confirmare, ſanctiſsimique SACRAMENTI amplificare gloriam, Deo viſum eſt) è ſanctâ HOSTIA, quam manibus tenebat, magnam vim ſanguinis profluere videt, & obſtupeſcit: primùmque linteolo ſacro, quod Corporale dicimus, detergere nititur, ne res in publicum prodiret. At Dei conſiliũ inuertere, nequaquam hominis eſt. Vberiùs ſacer is liquor emanans, non Corporale modò, verùm & ceteras mappas, quibus ex more, inſtitutoque Eccleſiæ inſternuntur altaria, peruadit ad ipſum vſque marmor; cui hodie impreſſę manent, viſunturq; ſacroſancti humoris notæ. Miraculum aduertit, & inclamat, qui aderat populus. Ex vrbe primùm, agroq; deinde circumiecto, mortales plurimi mox concurrunt: excurrit in omnem partem fama; atque in primis ad Vrbanum Pontificem, qui tum Vrbeveteri ſe tenebat. Hìc ferè habitationem fixit; quòd Romæ, propter ciuium tumultus concitatiores, ac præſertim Manfredi impiam dominationem, tutum ſe ſatis non exiſtimaret. Vrbs vetus autem & loco ſita eſt

57. *Dubitat Sacerdos de veritate Ven. Sacramenti:*

ſanguis è ſacrâ hoſtiâ profluit.

Corporale inficit.

eſt amœno, & hoſtium vim, ſi quæ ingrueret, non ægrè propulſare poſſe videbatur. Huc ergo ad ſe Pontifex Corporale ſacrũ iubet deferri. Paruit eius Diœceſeos Epiſcopus Vrbeuetanus, magnoq́ue ſacri, ſimul & profani ordinis comitatu, & religione Vrbem-veterem intulit, atque in ęde principe tum collocauit. Sed Vrbeuetanorum ita deinceps inualuit veneratio, vt pignori aſſeruando propriam ædem ſtatuere decreuerint. Adeòq́ue anno pòſt quinto & viceſimo, ſiue poſt natum orbis Seruatorem 1290. poſita ſunt fundamenta. Aderãt Summus Pontifex Nicolaus 4. Cardinales, reliquuſúe, qui ampliſsimus eſſe ſolet, Pontificius comitatus, Epiſcopi, Antiſtiteſq́ue peregrini magno numero, multa Nobilitas, Senatus, Populuſq́ue Vrbeuetanus vniuerſus. Poſt ſolemnes Eccleſiæ ſupplicationes, primum in imis fundamentis Pontifex lapidem collocauit. ſecuti ceteri Præſules, ſuum ſinguli poſuere. Exſtruxerunt deinceps Vrbeuetani tantâ mole, apparatu, & expenſarum magnitudine, vt iſtius ætatis nullum toto terrarum orbe potuiſſe cõparari teſtetur Panuinius. Ipſa verò prima frons ædis tota marmore Pario incruſtata, elegantibus è Sacræ Paginæ hiſtoriâ ſignis adeò exornata eſt, vt opus ſtatuariæ nobiliſsimum, ſi quod vſquam viſendum, exiſtimaretur. Porrò nondum extrema ma-

Ad Vrbanum defertur,

cui deinde magnificum templum ponitur.

nus erat appoſita, cùm illatum eſt Sanctum Corporale, atque in arâ propriâ collocatū. Hodieque magnâ veneratione populi concurrentis ad viſendum, anniuerſario CORPORIS CHRISTI die feſto, ſupplicatione celeberrimâ circumfertur. Sed hæc poſterioribus temporibus. Quid tantum miraculum proximè ſecutum fuerit, videamus.

CAPVT LXIII.

Vrbanus 4. Feſtum CORPORIS CHRISTI *in Eccleſiâ vniuerſâ celebrari præcipit. Officium à Sancto Thoma conſcribitur.*

PRincipes non minùs, quàm populum perculerat miraculum tam illuſtre: vt qui fidâ relatione didiciſſent, haud abſimile prodigium anno eiuſdem ſeculi triceſimo nono * in Hiſpanijs diuinitus editum:
64.

65. *Parisijs item anno quinquageſimo octauo, ſub ipſum Miſſæ Sacrificium, palam Venerandi huius MYSTERII veritatem certis argumentis teſtatam. Quorum omnium memoria cùm eximiam, vt par erat, reuerentiam ſummo Pontifici in auguſtiſsimum SACRAMENTVM excitaret, poſtularetq; velut optimo iure, ſingulares, nouoſque honores decerni: Vrbano venit in mentem eius feſti, quod Eccleſia Leodienſis non ita pridem

Cogitat Vrbanus dè Feſto per totam Eccleſiam celebrando;

pridem Apoſtolico decreto confirmari petierat, per Henricum Gueldrum Præſulem ſuum. Sed occurrebat maximè Iulianam aſſerere ſolitam: Certam, fixamque Diuini Numinis eſſe voluntatem, vt per Chriſtianum orbem vniuerſum aliquando, ſingulari, proprioque feſto Sacroſancta EVCHARISTIA coleretur. hoc profectò tempus aduenisſe tandem exiſtimauit. Pontificem ita iam propendentem non parum impulit S. Thomas Aquinas: vt mihi quidem teſtis eſt, ſed vnicus, Seraphinus Razzius è Dominicanâ familiâ. Hic opus, quod Auream Catenam inſcripſit, ingenti ſtudio elaboratum, fortè ſub id tempus obtulerat Vrbano: qui viri diligentiam, ſapientiamque, ac merita in Eccleſiam vniuerſam admiratus, Eccleſiaſticâ quâpiam dignitate ſtatuit illuſtrare. Verùm qui præ Euangelicâ humilitate, illuſtriſsimæ familiæ ſplendorem contempſerat, primo vitæ ſuæ inſtituto tenaciter adhæſit, rogauitq; Pontificem ſuppliciter, vt, ſi quidpiam in ſui gratiam indulgeret, nouo feſto honores VEN. SACRAMENTO debitos augeret. Ita narrat Razzius. Vtvt ſe res habuerit, hoc conſtat. Vrbanum vnanimi Cardinalium omnium conſenſione, approbationeque mirâ ceterorum ordinum, condidiſſe feſtum CORPORIS CHRISTI annuum, in diem Iouis proximum poſt Dominicam ſanctiſsimæ

impellit S. Thomas.

Trinitatis; idque autoritate Apoſtolicâ
ſanxiſſe. Quare vt vno apud omnes, pro-
prioque ritu feſtum perageretur; eius *Offi-
cium*, vt loquimur, conſcribendum Tho-
60. mæ Aquinati commendauit, * item & Bo-
nauenturæ: quorum hic Franciſcanũ Or-
dinem, ille Dominicanum, vniuerſamque
adeò Eccleſiam, non admirabili magis ſa-
pientiâ, quàm ſanctitate ſingulari illuſtra-
runt. Pro ſuo vterque in Diuina animo per-
lubenter ſuſcepit Pontificis iuſsionem: pri-
uatoque ſinguli ſtudio ſcripſerunt. At cùm
prior Bonauentura id perlegi audiſſet,
quod Thomas elaborauerat, ita ſecum ipſe
probauit, vt ſuos labores nullo modo com-
ponendos iudicaret. quos proferre deinde
iuſſus, laceros, & in partes diſciſſos oſten-
dit, addens feliciùs Thomam ſcripſiſſe,
quàm animo ipſe concipere potuiſſet; ne-
que habere ſe, quod immutaret, adderetúe.
Et verò quàm religiosè, ſapienterque S.
Thomas id confecerit, quid attinet dicere?
Etenim non Eccleſia modò recepit, vti-
turque; quod ampliſsimum eſt teſtimoniũ:
verùm etiam oraculo Diuino comproba-
tum eſt. Nam cùm vltimam appoſuiſſet
manum, detuliſſetque in ædem ſacram la-
bores ſuos, Numini oblaturus, hanc ad ſe
vocem delabi ſenſit, *Benè ſcripſiſti de me,
Thoma.* Venire viſa eſt iſta vox ex ligneâ
Chriſti Seruatoris in Crucem ſuffixi ima-
gine,

cui, ſimul & Bonauentura Officium ſcribendũ committitur:

ſed hic præfert labores Aquinatis.

quos etiã vox cælo lapſa cõprobauit.

Digitized by Google

gine, ante quam in genua procubuerat: & hodie in Vrbeuetano viſitur Dominicanorum cœnobio, Sanctique Thomę Crucifixus appellatur. Idem Neapoli aliàs iterum, iterumque Pariſijs contigiſſe fertur; hìc quidem, cum grauem illam de accidentibus poſt Tranſſubſtantiationem permanentibus, vt in ſcholâ loquuntur Theologi, diſputationem conſcripſiſſet: illic verò poſt Incarnationem Diuini Verbi doctiſsimis quæſtionibus explicatam.

CAPVT LXIV.

Apoſtolico Diplomate Feſtum CORPORIS CHRISTI *ſancitur.*

HIs ita conſtitutis, decretum ſuum Vrbanus propoſuit; atque vt vbique gẽtium Chriſtianarum vim ſuam haberet, miſſo quaquauerſum Apoſtolico diplomate ſanciuit in hæc verba.

Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, &c.

TRanſiturus de hoc mundo ad Patrem Saluator noſter Dominus IESVS CHRISTVS, *cùm tempus ſuæ Paßionis inſtaret, ſumtâ cenâ, in memoriam mortis ſuæ, inſtituit ſummum, & magnificũ ſui* CORPORIS *&* SANGVINIS *Sacramentum;* CORPVS *in cibum, &* SAN-

Digitized by Google

GVINEM *in poculum tribuendo: nam quoties hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annuntiamus. In inſtitutione quidem huius Sacramenti dixit ipſe Apoſtolis: hoc facite in meam commemorationem; vt præcipuum, & inſigne memoriale ſui amoris eximij, quo nos dilexit, eſſet nobis hoc præcelſum, & venerabile* SACRAMENTVM. *memoriale, inquam, mirabile, ac ſtupendum, delectabile, ſuaue, tutiſsimum, ac ſuper omnia pretioſum; in quo innouata ſunt ſigna, & mirabilia immutata; in quo habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitas, ipſaq; dulcedo Domini degustatur. in quo vtique vitæ ſuffragium conſequimur, & ſalutis. Hoc eſt memoriale dulciſsimum, memoriale ſacratiſsimum, memoriale ſaluificum; in quo gratam redemtionis noſtræ recenſemus memoriam; in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementa; & in quo profectò proficimus ipſius corporali præſentiâ Saluatoris. Alia namq;, quorum memoriam agimus, ſpiritu, menteq; complectimur; ſed non propter hoc realem eorum præſentiam obtinemus. In hac verò Sacramentali Chriſti commemoratione* IESVS-CHRISTVS *præſens, ſub aliâ quidem formâ, in propriâ verò ſubſtantiâ eſt nobiſcum: aſcenſurus enim in cælum dixit Apoſtolis, & eorum ſequacibus: ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi: benignâ ipſos promiſſione confortans, quòd remaneret, & eſſet cum*

eis

Digitized by Google

eis præſentiâ corporali. O digna, & nunquam intermittenda memoria, in quâ mortem noſtram recolimus mortuam, noſtrumq; interitum interiiſſe, ac lignum viuificum ligno crucis affixum, fructum nobis attuliſſe ſalutis! Hæc eſt commemoratio glorioſa, quæ fidelium animos replet gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ, deuotionis lacrymas ſubminiſtrat. Exultamus nimirum noſtram memorando liberationem; & recolendo paſſionem Dominicam, per quam liberati ſumus, vix lacrymas continemus. In hac itaque ſacratiſſimâ commemoratione, adſunt nobis ſuauitatis gaudium, & lacrymæ; quia & in eâ congaudemus lacrymantes, & lacrymamur deuotè gaudentes, lætas habendo lacrymas, & lætitiam lacrymantem: nam & cor ingenti perfuſum gaudio dulces per oculos ſtillat guttas. O diuini amoris immenſitas! diuinæ pietatis ſuperabundantia! diuinæ affluentia largitatis! dedit enim nobis Dominus omnia, quæ ſubiecit ſub pedibus noſtris, & ſuper vniuerſas terræ creaturas contulit nobis dominij principatum. Ex miniſtris etiam ſpirituum ſuperiorum nobilitat, & ſublimat hominis dignitatem: adminiſtratorij namq; ſunt omnes in miniſterium, propter eos, qui hereditatem ſalutis capiunt deſtinati. Et cùm tam copioſa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipſe ſuam in nobis exuberantem caritatem præcipuâ liberalitate monſtrare, ſemetipſum nobis exhibuit, & tranſcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem

modum

modum dilectionis excedens, attribuit ſe in cibum. O ſingularis, & admiranda liberalitas, vbi donator venit in donum, & datum eſt idem penitus cum datore! quàm larga, & prodiga largitas, cùm tribuit quis ſeipſum! Dedit igitur nobis ſe in pabulum, quia per mortem homo corruerat, vt per cibum ipſe releuaretur ad vitam. cecidit homo per cibum ligni mortiferum: releuatus eſt homo per cibum ligni vitalis. in illo pependit eſca mortis: in iſto pependit vitæ alimentum. Illius eſus meruit læſionem: iſtius guſtus intulit ſanitatem. guſtus ſauciauit: & guſtus ſanauit. Vide, quia vnde vulnus eſt ortum, prodijt & medela; & vnde mors ſubijt, exinde vita euenit. De illo ſiquidem guſtu dicitur; quâcumque die comederis, morte morieris. De iſto verò legitur: ſi quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum. Hic eſt cibus, qui plenè reficit, verè nutrit, ſummèq; impinguat: non corpus, ſed cor; non carnem, ſed animam; non ventrem, ſed mentem. Homini ergo, qui ſpirituali alimoniâ indigebat, Saluator ipſe miſericors, de nobiliori, & potentiori huius mundi alimento, pro animæ refectione, piâ diſpoſitione prouidit. decens quoque liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt Verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus eſt, & refectio, factum caro, ſe rationabili creaturæ, carni, & corpori, homini videlicet, in edulium largiretur: panem enim Angelorum manducauit homo: & ideo Saluator ait, Caro mea verè eſt cibus. hic panis ſumitur,

ſed

ſed verè non tranſmutatur: quia in edentem minimè transformatur: ſed ſi dignè recipitur, ſibi recipiens conformatur. O excellentiſſimum Sacramentum! ô adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, dignis magnificandum laudibus, dignis præconijs exaltandum, cunctis honorandum ſtudijs, deuotis proſequendum obſequijs, & ſinceris mentibus retinendum! ô memoriale nobiliſſimum, intimis commendādum præcordijs, firmiter animo alligandum, diligenter reſeruandum in cordis vtero, & meditatione, ac celebratione ſedulâ recenſendum! Huius memorialis continuam debemus celebrare memoriam, vt illius, cuius ipſum fore memoriale cognoſcimus, ſemper memores exiſtamus; quia cuius donum, vel munus frequentiùs adſpicitur, huius memoria ſtrictiùs retinetur. Licet igitur hoc memoriale SACRAMENTVM *in quotidianis miſſarum ſoleminiis frequentetur: conueniens tamen arbitramur, & dignum, vt de ipſo ſemel ſaltem in anno, ad confundendam ſpecialiter Hæreticorum perfidiam, & inſaniam, memoria ſolemnior, & celebrior habeatur. In die namq; cenæ Domini, quo die ipſe Chriſtus hoc inſtituit* SACRAMENTVM, *vniuerſalis Eccleſia, pro pœnitentium reconciliatione, ſacri confectione chriſmatis, adimpletione mādati, circa lotionem pedum, & aliis plurimùm occupata, plenè vacare non poteſt celebrationi huius maximi* SACRAMENTI. *Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipſa obſeruat*

Eccle-

Eccleſia, vt quamuis in Litaniis, & Miſsis, ac aliis, etiam ipſorum memoriam ſæpius renouemus; nihilominus tamen ipſorũ Natalitia certis diebus per annum ſolemniùs recolat, feſta propter hoc eiſdem diebus ſpecialia celebrando. Et quia in his feſtis circa ſolemnitatis debitum, aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut aliàs ex humanâ fragilitate omittitur; ſtatuit ipſa Mater Eccleſia certam diem, in quâ generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret: vt in hac ipſorum celebratione communi, quidquid in propriјs ipſorum feſtiuitatibus omiſſum exiſteret, ſolueretur. Potiſsimè igitur exequendum eſt erga hoc viuificum Sacramentum CORPORIS & SANGVINIS IESV CHRISTI, *qui eſt Sanctorum omnium gloria, & corona, vt feſtiuitate, ac celebritate præfulgeat ſpeciali; quatenus in eo, quod in aliјs miſſarum officiјs circa ſolemnitatem eſt forſitan prætermiſſum, deuotâ diligentiâ ſuppleatur, & fideles feſtiuitate ipsâ inſtante, intra ſe præterita memorantes. id, quod in ipſis miſſarum ſolemnijs ſæcularibus forſan agendis impliciti, aut aliàs ex negligentiâ, vel fragilitate humanâ, minùs plenè geſſerunt, tunc attentè, in humilitate ſpiritus, & animi puritate reſtaurent.* INTELLEXIMVS AVTEM OLIM, DVM IN MINORI ESSEMVS OFFICIO CONSTITVTI, QVOD FVERAT QVIBVSDAM CATHOLICIS DIVINITVS REVELATVM, FESTVM HVIVSMODI GENERA-

NERALITER IN ECCLESIA CELEBRANDVM. *Nos itaq; ad corroborationem, & exaltationem catholicæ fidei, dignè, ac rationabiliter duximus ſtatuendum, vt de tanto Sacramento, præter quotidianam memoriam, quam de ipſo facit Eccleſia; ſolemnior, & ſpecialior annuatim memoria celebretur: certum ad hoc deſignantes, & deſcribentes diem, videlicet feriam quintam proximam poſt Octauam Pentecoſtes: vt in ipsâ quintâ feriâ deuotæ turbæ fidelium, propter hoc ad eccleſias affectuosè concurrant, & tam clerici, quàm populi gaudentes, in canticâ laudum ſurgant: tunc enim omnium corda, & vota, ora, & labia, hymnos perſoluāt lætitiæ ſalutaris: tunc pſallat fides, ſpes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur: tunc ſinguli alacri animo, pronâq; voluntate conueniant, ſua ſtudia laudabiliter exequendo, tanti feſti ſolemnia celebrantes, & vtinam ad Chriſti ſeruitium, ſic eius fideles ardor inflammet, vt per hæc, & alia, proficientibus ipſis meritorum cumulis, apud eũ, qui ſeſe dedit pro eis in pretium, tribuitq; ſe ipſis in pabulum, tandem poſt huius vitæ decurſum, eis ſe in præmium largiatur. Ideoq; vniuerſitatem veſtram monemus, & hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictæ præcipiendo mandamus, in remiſſionem peccaminum iniungentes, quatenus tam excelſum, & tam glorioſum feſtum, prædictâ quintâ feriâ, ſingulis annis, deuotè, ac ſolemni-*

ter celebretis, & faciatis ſtudioſè per vniuerſas Eccleſias Ciuitatum veſtrarum, & Diœceſum celebrari; ſubditos veſtros in Dominicâ dictam quintam feriam proximè præcedente, ſalutaribus monitis ſollicitè per vos, & per alios exhortantes, vt per veram; & puram confeßionem, eleemoſynarum largitionem, attentas, & ſedulas orationes, & alia deuotionis, & pietatis opera, taliter ſe ſtudeant præparare, quòd huius pretioſißimi SACRAMENTI *mereantur fieri participes illâ die; poßintq; ipſum ſuſcipere reuerenter, ac eius virtute augmentum conſequi gratiarum. Nos enim Chriſti fideles, ad colendum tantum Feſtum, & celebrandum, donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus, & confeßis, qui matutinali officio feſti eiuſdem in Eccleſiâ, in quâ idem celebrabitur, interfuerint, centum: qui verò miſſæ, totidem: qui autem in primis ipſius feſti veſperis interfuerint, ſimiliter centum: illis verò qui primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, ac completorij officijs interfuerint, pro qualibet ipſarum horarum quadraginta: illis autem, qui per octauas illius feſti matutinalibus, veſpertinis, miſſæ, ac prædictarum horarum officijs interfuerint, centum dies ſingulis octauarum ipſarum diebus, de omnipotentis Dei miſericordiâ, ac Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli autoritate confiſi, de iniunctis ſibi pœnitentijs realxamus.* Non piguit hoc diploma quantumuis longum totidem verbis attexere; tum quòd ſacratiſsimæ

Ev-

Digitized by Google

EVCHARISTIAE dignitatem, beneficijque per illam in homines collati magnitudinem grauiter extollat: tum maximè, quòd etiam referat cauſas, quæ ad feſti huius inſtitutionem impulerint; & aptiſſimas rationes, quibus rite celebretur, ſanctè, disertèque edoceat.

CAPVT LXV.

Vrbanus Euæ ad S. Martini clauſæ ſuum de nouo Feſto decretum nuntiat; & gratulatur.

FElici paſſu iam omnia procedunt; ſupremuſque ſacrorum Princeps totas animi vires, autoritatemque ſummam in id conuertit, vt inſtitutum diem feſtum ſuſcipiat vniuerſa Eccleſia celebrandum. Inter moliendum, vti Iulianam olim Leodij, primam à Deo rei totius veluti ducem, & autorem eſſe delectam meminerat, è Leodienſibus, quorum ſemper aliqui non infrequentes eſſe ſolent in Pontificiâ Curiâ, quid eâ factum eſſet, ſtudiosè quærit. Accepitque, * Iulianâ iam ante aliquot annos defunctâ, vnam Euam ſupereſſe, quæ conſtanter ad S. Martini templum clauſa tuguriolo, ſuę ſanctitatis famâ ciuitatem vniuerſam impleret; eoque nomine apud Martinianos Canonicos impetraſſet, vt indictum à Roberto Præſule feſtum ſuſciperet, 61.

ſemelque ſuſceptum retinerent adhuc conſtantiſsimè Adeò vt, quæ Iulianam, non ſecus ac ſuam in Chriſto parentem, virtutum ceterarum conformatione quàm perfectiſſimè referebat, ſtudij pariter, amoriſque in VEN. EVCHARISTIAM heres inſtituta dici poſſet. Vrbanus Euæ ſanctimoniam iam olim ſuſpexerat; atque nunc Apoſtolico Principatui nihil exiſtimauit deceſſurum, ſi ſanctiſsimæ feminæ nuntiaret, gratulareturque, Dei numinė tandem id effectum, quod tam diu votis expetijſſet ardentiſsimis. Quod quia rarum eſt, neque omnino parui faciendum; lubuit exemplũ Lectori dare, quale in hodiernum diem in
62. tabulario Martiniano * magnâ fide aſſeruatur.

Vrbanus Epiſcopus dilectæ in Chriſto Filiæ Euæ reclusæ S. Martini Leodienſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SCimus, ô Filia, quod magno deſiderio deſiderauit anima tua; vt ſolemne feſtũ Sacratiſſimi CORPORIS *Domini noſtri* IESV CHRISTI *inſtitueretur in Eccleſiâ Dei, à Chriſti fidelibus, perpetuis temporibus celebrandum. & ideo tibi ſignificamus ad gaudium, quòd nos ad corroborationem catholicæ fidei, dignè duximus ſtatuendum, vt de tam mirabili Sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipſo facit Eccleſia, ſpecialior, & ſolemnior memoria celebretur; ad hoc diem deſignantes certum*

tum

tum, vt in eo turba fidelium propter hoc affectuoſè ad eccleſias concurrant, ſitq; dies ille vniuerſis Chriſticolis nouâ feſtiuitate iucundus, & amplâ iucunditate feſtiuus: Provt in litteris Apoſtolicis, quas per vniuerſum orbem dirigimus, pleniùs continetur. Et ſcias quod nos huiuſmodi feſtum cum omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſq; Eccleſiarum Prælatis, tunc apud Sedem Apoſtolicam commorantibus (ad hoc, vt videntibus, & audientibus de tanti feſti celebritate ſalubre præberetur exemplum) duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet Spiritus tuus in Deo ſalutari tuo; quia viderunt iam oculi tui ſalutare tuum, quod parauimus ante faciem omnium populorum. Lætare inſuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi deſiderium cordis tui, & voluntate labiorũ tuorum non fraudauit te cæleſtis gratiæ plenitudo. Et quia quaternum in quo ipſius feſti habetur officium, tibi ſub Bullâ noſtâ per latorem præſentium deſtinamus, volumus, & per Apoſtolica ſcripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipſum cum deuotione recipias, & eius copiam perſonis illam petentibus exhibeas liberaliter, & libenter; & inſtes deuotis precibus apud illum, qui memoriale tam ſalutiferum de ſe ipſo reliquit in terris, vt nobis ex alto tribuat gratiam, commiſſam noſtro regimini Eccleſiam ſuam regendi vtiliter, ad laudem, & gloriã ſui nominis, & ſalubriter gubernandi. Datum apud Vrbemveterem 6. Id. Sept. Pontificatus noſtri anno 4.

Quàm gratus hic fuerit Euæ nuntius, non facilè quiſquam explicauerit. Autoritate, quæ in terris ſumma eſt, audiebat eſſe ſancitum, quod auidiſsimè plurimis annis deſiderauerat, & in CHRISTI IESV ſponſi ſui amantiſsimi gloriam verteret non exiguam: cùm in poſterum non vna Leodina Diœceſis, ſed vniuerſus orbis Chriſtianus ſolemnes ei honores nouo ritu deferret. Ex imperio igitur Apoſtolico, cùm ſuâpte ſponte iam ſatis ipſa propenderet, in ſanctiſsimi feſti propagationem tota incūbit.

CAPVT LXVI.

Collegium Canonicorum S. Martini partum antè honorem pari pietate ſtrenuè tuetur.

ILluſtrem ſuæ religionis gloriam referebat Canonicorum Collegium ad S. Martini, qui tantâ veneratione, nullo exemplo, multis etiam improbantibus, * con-
63. ſtantiſsimè, tot annis iam recurrentibus vſurpârant, quod tanto Numinis honore, Leodienſis tota Diœceſis nuper eſſet amplexa; & iam edicto propoſito, per vniuerſum orbem Chriſtianum, autoritate ſummâ Pontifex imperaret. Quamobrem vt partæ ſemel glorię monumentum in poſteros ſupereſſet; cùm diplomati ſuo Vrbanus *Officium* à S. Thomâ Aquinate conſcriptum,

vt

Digitized by Google

vt vbiqúe gentium vſurparetur, adiunxiſſet; illud quidẽ obuijs vlnis Eccleſia Leodienſis excepit, (ipſum enim Feſtum iam antea celebrare cœperat) Martiniani tamen Canonici, impetratâ Pontificis aſſenſione, vt par eſt credere, ita dumtaxat admiſerunt, vt ex *Officio*, quod S. Iulianæ conſcriptum auſpicijs oſtendimus, & apud ipſos ad id vſque tempus in vſu fuerat, in *ſecundis*, vt loquimur, *Veſperis*, totâque item Octauâ ad *Benedictus*, & *Magnificat* retinuerint *Antiphonas*: in *Horis verò minoribus hymnos etiam, Orationeſq;*. Exiſtimarunt enim futurum id olim argumento, ſolemne priùs apud ſe hoc Feſtum habuiſſe, quàm *Officium* S. Thomas ſcripſiſſet. Porrò ne vanum nomen, & inane decus iactare videantur; ſemper hactenus, hodieque non religiosè minùs, quàm conſtanter, ſingularem cultum ſacroſanctæ EVCHARISTIAE debitum tueri ſatagũt, ac promouere. Primam enim *Commemorationem* (ita his in rebus loquimur) de VEN. SACRAMENTO facere conſueuerunt. adeòque ſacram Sodalitatem eodem nomine quondam inſtitutam, Apoſtolicâ etiam frequenter confirmatam autoritate, ampliſsimiſque, quas vocamus, *Indulgentijs* liberaliſsimè donatã, non paruo Diuini honoris incremento, fouent, & adminiſtrant. Ceterùm decus omne, quod hinc Martinianis eſſe poteſt, in B. Euam iure

Quid ſeruet ex officio antiquo Collegiũ Martinianum.

quotidianam præterea cõmemorationem inſtituit,

& Sodalitatem,

iure quàm optimo referendum videtur, cuius gratiâ, adhortationibus, precibuſque factum eſt, vt Feſtum id ipſi piè ſuſciperet, retinerentq; conſtantiſsimè. Quamobrem cùm vitam laudatiſsimè tranſactam feliciter concluſiſſet (quod quando euenerit, ſcriptum non reperio) eximium pro meritis tumulum poſuere: cui è marmore candido ipſius Euæ ſimulacrum cum inſcriptione addiderunt. Sub annum deinde milleſimum, quingenteſimum quadrageſimum ſecundũ, cùm inſtaurata fuiſſet ædes Martiniana, qualem hodie videmus; è tumuli marmoribus erecta eſt ara, quam VEN. SACRAMENTO dicari placuit. Ita vt, neſcio quo pacto, ignotum ferme manſerit, aut certè inhonorum B. Euæ ſepulcrum. Donec anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, magnâ omnium exultatione, & reuerentiâ, è tenebris, & obſcuro ſepulcro, in lucem, venerationemque extractum eſt ſacrum Sanctæ Virginis corpus: è quo partem aliquam magnâ animi demiſsione, religioneque accepit Sereniſsima Infanta Iſabella Clara Eugenia: ac pro ſuâ, maiorumque ſuorum in auguſtiſsimã EVCHARISTIAM propenſione religioſiſsimâ, in eam petijt admitti Sodalitatem, quæ ad D. Martini, in eius honorem conſtituta eſt.

cui inſcripta eſt Sereniſſima Infanta.

CA-

CAPVT LXVII.

Vrbani morte, publicaq́; rei tumultibus, ſeponitur Feſti mentio: ſed minimè Dei prouidentiâ deſtituitur.

HAec ita Leodij religioſiſsimè cœpta, conſtanter in hodiernum diem perſeuerant. At in reliquo orbe Chriſtiano nõ item. Vrbanus enim 4. Pontifex Max. cùm anno ſexageſimo quarto ſacrum CORPORI CHRISTI diem dato diplomate ſanxiſſet; eodem anno, ſecundo Octobris, vix mẽſe toto poſt litteras ad Euam deſtinatas, magno bonis omnibus ſui relicto deſiderio, * viuere deſijt. Omnis ergo, quòcumque iam perueniſſet Vrbani diploma, populusChriſtianus rei nouitate ſuſpenſus, hærere cœpit. Res fortaſſe non omnibus æquè placebat. Circumſpicere ſinguli, quid ageretur,quis daret initium, quam quiſque rationem iniret. Nouum erat inſtitutum: & debitâ ſummi Pontificis autoritate non ſatis innixum. Et qui poſt interregni menſes quinque ſuffectus erat in Pontificem, Clemens 4. turbatiſsimo reip. Chriſtianæ, atque in primis Italiæ ſtatu, diſtractum in diuerſa animum intendere in iſtud negotij non poſſe videbatur. Guelforum, Gibellinorumque flammis ardebant omnia: ſed

Vrbanus moritur. 64.

Manfredi tyrannide Eccleſia potiſsimùm exercebatur. Quamobrem pronis animis

65. neque ab omnibus Eccleſiis recipitur Feſtum

* aliæ per Germaniam, Franciamque Eccleſiæ Pontificiam iuſsionem receperunt; aliæ publicis Eccleſiæ calamitatibus in alia diſtractæ, parendum eſſe non exiſtimarũt. Ita mortalium ſententiâ dilatum eſt adeò ſanctum inſtitutum; quando immortalis Dei prouidētia auguſtiſsimo feſto firmum in ſequentes ætates iam tum parabat munimentum. Nam hoc ipſo anno, dum in Italiâ Vrbanus in cultum, gloriamq; VEN. EVCHARISTIAE totus incũbit; in Germaniâ

66. Interea Comes Habſpurgicus raram exhibet venerentiã Ven. Sacramento.

* Rodolfus 3. Comes Habſpurgi fortè venabatur in ſiluis, cùm æris campani pulſum audijt, dari ſolitum, vbi ſacrum ad ægros Viaticum defertur. Sonitum ſecutus, deuenit ad riuulum, propter quem Sacerdos ſe calceamentis exuebat. Qui, quid ageret, interrogatus, reſpondit: Sanctiſsimum ſe SACRAMENTVM deferre ad ægrum; qui animam iamiam agere diceretur: quare ne aliquâ ſuâ culpâ, tanto ille deſtitueretur ſolatio, ſtatuiſſe ſe tentato vado, quandoquidem aquarum violentia pontem abrupiſſet, riuum tranſmittere. Relicto equo Rodolfus ad terram defluxit, Deumque ſuum è genibus veneratus, Sacerdotem in equum impoſuit. Qui munere, itinereque ſuo perfunctus, cùm ad Comitem redijſſet, & omnem, quam poterat,

animi gratitudinẽ verbis teſtaretur; equum ille ſe recepturum negauit: addiditque indignum ſibi videri, vt vel ipſe, vel familiarium alius eum equum admitteret in poſterum, cui Deus inſediſſet. Suſtentando igitur equo certũ ſtipendium attribuit. Die ſequenti Rodolfus non procul vrbe Tigurinâ quoddam aſceterium adierat, viſurus virginem Deo ſacram, ſanctitate celebrem, ſibique cognatione proximam. Quæ, vt primùm in conſpectum venit, Numine afflata, vt credere par eſt, in hæc ſtatim verba prorupit: Heſterno die, Rodolfe, gratum Diuinæ Majeſtati obſequium detuliſti. quamobrem eius nomine, tibi, poſteriſque tuis, felicem rerum curſum, ſummoſque honores, qui à mortalibus attingi poſſunt, promitto. tu tantùm temporis nouenarium notato; tuaque Deo cordi eſſe comperies. Nihil aliter euenit. Nonũ inde diem, nonamque poſtea hebdomadam, ac menſem etiam nonum numerarat Rodolfus, & promiſſorum nihildum erat adeptus; adeòque ſpem omnem eorum abiecerat: cùm nono denique anno Francofurti Imperator ſalutatus, Cæſaream majeſtatem in familiam ſuam primus intulit; quæ Auſtriaca deinde nuncupata, quibus imperijs, Regnis, Prouincijs potita ſit, hodieque fruatur, dicere ab inſtituto alienius eſt: id verò propius; plurimos ex eâ Princi-

ideo ad Imperiũ euehitur.

pes,

neque ab auitâ pietate diſcedunt poſteri.

pes, Reges, Auguſtos eſſe natos, qui etiam hodie, in omnium noſtrum oculis, & rara ſingularis venerationis in auguſtiſsimum EVCHARISTIAE Sacramentum exempla præbeant, & debitum cultum aduerſus perfidam hæreticorum impietatem victricibus armis feliciſsimè tueantur.

CAPVT LXVIII.

Iterum indicitur per vniuerſam Eccleſiam Feſtum CORPORIS CHRISTI.

Clemens 5. ſedet in Franciâ;

DIuturnis per Italiam bellis, ſimul cum autoritate Pontificiâ videbatur obruta ſanctiſsimi Feſti memoria, ad Pontificatum vſque Clementis 5. qui ex Burdegalenſi Epiſcopo in Pontificem aſſumtus Romanum, cruentaſque pertæſus Italorum factiones, quibus exagitati multis iam annis fuerant Pontifices, ex Italiâ Pōtificium comitatum, Curiamúe Romanam, anno poſt Virginis partum milleſimo treceteſimo quinto, Lugdunum euocauit, manſuram in Franciâ totos ſeptuaginta quatuor annos. Viennam igitur Delphinatus in Galliâ metropolim, anno iſtius ſæculi vndecimo, Clemens Oecumenicam Synodum indicit, vt fluentes Eccleſiæ mores ad primam integritatem reuocarentur. Conuenerunt Epiſcopi, vt multis placet, trecenti, Patriar-

Viennam Cōcilium conuocat:

triarchæ duo, Alexandrinus, & Antiochenus; terni Reges, Franciæ, Angliæ, Tarraconenſis. In hoc celeberrimo cõſeſſu, quàm multa prȩclara, ſalubriterq́; totius reip. bono fuerint decreta, nihil attinet dicere. In manibus ſunt in 6. libri quinque conſtitutionum Clementinarum, quæ ab ipſo Concilij principe nomen habent, partimque ante, & poſt Concilium, partim in ſapientiſsimo illo totius Eccleſiæ theatro, cõſcriptæ ſunt, & certum in ordinem digeſtæ. Dum verò ſancti illius Concilij Patres ſtudioſè conquirunt, quid mores corrigere, quid populi Chriſtiani religionem excitare poſſe videatur: occurrit Vrbani 4. decretum de feſto CORPORIS CHRISTI celebrando, nondum hactenus vſu certo receptum, cum paucæ omnino per Germaniam, Galliamq́; Eccleſiæ vſurparent. Excuſſum diligenter, ſeriòque viſum eſt ad Diuini honoris incrementum, ſalutemque hominum poſſe plurimùm cõducere. Quare vno omnium conſenſu, approbationeq́; ſummâ ſcriptum eſt decretum hoc, quod in 6. l. 3. Clementinarum tit. 16. c. vnico, in hæc verba habemus.

decretum Vrbani renouat:

SI *Dominum in Sanctis eius laudare iubemur; dignum profectò, iuſtum, & ſalutare nobis exiſtit, vt ſibi in ſui, quo nos quotidie ſpiritualiter reficit, memoriam* CORPORIS, *laudes feſtiuæ venerationis, & gratias referamus. Hac*

igitur

igitur conſideratione inducti, conſtitutionem à bonæ memoriæ Vrbano Papa 4. prædeceſſore noſtro ſuper hoc editam, de Fratrum noſtrorum cōſilio diſtrictè præcipimus obſeruari. cuius tenor ſequitur in hæc verba, &c.

Opportuno tempore contra Beguardos & Beguinas.

Vt verò intelligas non vanum fuiſſe Iulianæ vaticinium, quæ prædixerat, auguſtiſsimum hoc Diuini SACRAMEMTI feſtum à ſanctiſsima TRINITATE decretū eſſe, ad obfirmandos Chriſtianorū animos, ne fortè hæreticorū inſaniâ in fine temporū inuoluerentur: ecce in hac ſanctâ Oecu-
67. menicâ Synodo Viennenſi, * Beguardorum, ac Beguinarum errores, qui tum in Eccleſiæ agro, velut zizania ſpargebantur, impietatis damnati ſunt. inter quos S. Antoninus hunc octauum refert. *In eleuatione* CORPORIS IESV CHRISTI, *non debet talis* (qui imaginariā, quā ipſi ſibi fingebant, virtutis dignitatē aſſecutus eſſet) *exſurgere, aut ei reuerentiam exhibere. Aſſerunt enim quod eſſet imperfectionis eiſdem, ſi à puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantùm deſcenderet, quòd circa Sacramentum* EVCHARISTIAE, *aut circa paßionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.* Quam certè inſaniam quid potentiùs confutet, quàm noui, ſingulareſque honores, totius Chriſtiani Senatus conſulto, imperioque Principis decreti? Igitur Vrbani conſtitutionem tam opportunè, non ſuâ dumtaxat ſententiâ

3. p. tit. 11. c. 3. §. 2.

Cle-

Clemens, verùm etiam Concilij totius aſſenſione confirmarat: cùm iterum importunâ Pontificis morte ſtetit felix hic rerum curſus; quandoquidem ſuis hiſce conſtitutionibus iam paratis, nõdum, quod ſatis erat roboris, addidiſſet. Ab eius morte tres menſes, duoſque annos tenuerat interregnum, quando Eccleſiæ totius gubernaculo admotus eſt Nonis Sept. Ioannes 22. Qui tandem anno Pontificatus ſui ſecundo, octauo cal. Nou. ſuo etiam ſuffragio, decreta Clementis 5. Concilijq; Viennenſis non modò comprobauit, ſed edidit ſeruanda vniuerſo orbi Chriſtiano. tandemque vim obtinuit Vrbani 4. diploma, quo nouum ſacrum indicebatur. Cuius vt vberior fructus proueniret, inſtitutum eſt ſanctiſsimè ab eodem Eccleſiæ Principe, vt eo die feſto, ſacroſancta humanæ ſalutis HOSTIA, populo ſpectanda, * circumferretur per vrbium vicos, & celebri, ſacrâque pompâ deduceretur.

Promulgat tandem Ioannes 22.

ſupplicationemq; decernit.

68.

CAPVT LXIX.

Recipitur tandem ab vniuerſis Feſtum, nouiſq; honoribus augetur.

ANnus vertebatur à partu Virginis * millesimus trecenteſimus decimus octauus, poſt primam celebrationem Leo- dij

69.

Celebratur per totã Eccleſiã Feſtũ.

dij ad S. Martini inſtitutam, ex imperio Roberti Epiſcopi & Principis ſeptuageſimus primus, at ſexageſimus poſt S. Iulianę mortem, & denique ab Vrbani quarti decreto quinquageſimus quartus; cùm approbante cælo, terrâ plaudente, frendentibus inferis, ex edicto Ioannis 22. Pontificis Romani, venerandum illud, auguſtumque ſacratiſsimi CORPORIS & SANGVINIS IESV CHRISTI Feſtum per vniuerſam Eccleſiā, magno Chriſtiani nominis emolumento, celebrari cœptum eſt. Quis verò tum fuerit, ſitque hodie Chriſtianorum omnium ſenſus, quæ religio in ſanctiſsimū hoc inſtitutum, fruſtra hic à me diceretur, quandoquidem omnium oculis iſta quotidie proponantur. Leodienſes ſemel partum imminui honorem non paſſuri, hæc cum ceteris non ita communia videntur vſurpaſſe. Primum. vt illuſtrior reddatur apparatus, quo principes Canonici ſupplicationem ſuam inſtituunt; ſelecta ciuium manus in quaternas cohortes deſcripta, cùm per celebriores vrbis regiones, VEN. SACRAMENTVM pompâ militari deduxit, ipſum templum pariter in armis, & cū timpanorum pulſu pertranſit: delectuſque ex toto numero vnus coram Principe, Canonicis, Prætore, ac Conſule vtroque, militiæ ſacramenta renouat, in hunc ferme modum: Arma, quæ ipſe, & commilitones

ſed Leodij ſingularibus honoribus.

eâ die ferunt, eſſe ſua; eaque ſe ſeruaturos in propugnationem veræ antiquæ fidei, & Religionis Catholicæ, Principiſque, item Canonicorum, ac Ciuitatis. Alterum Leodij ſingulare eſt. quòd Curiæ quædam (Parœcias appellamus) non contentæ ſuſceptis eo die ſupplicationibus, quas triumphus publicus ex æde primariâ S. Lamberto ſacrâ deductus, apparatu ſuo, & ſplendore fortaſsis obſcuraſſet, die Dominico proximè ſequenti Diuinos honores inſtaurent; octauũ à feſto diẽ Parœciæ alię, aliæ primũ inde diem Dominicum ſibi ſeligant; adeòq́ue ſecundum etiam, tertium, immo & quartum aliæ, atque aliæ ſibi retinuerint. cùmq́ue totos octo dies in ſingulis Curijs celebritas teneat, fit vt duo pene menſes abeant in cultum, & venerationem Sacroſanctæ EVCHARISTIAE. Et verò iure longè optimo. Si enim tantùm beneficij in Eccleſiá Leodienſem contulit Diuina Maieſtas, vt in eâ præ ceteris primum tantæ celebritatis exemplum poſuerit: æquum profectò eſt, vt omnibus corporis, animiq́; viribus, cùm ſinguli priuatim, tum vniuerſa Reſp. nitatur, pro tuendo, propagandoúe Sacratiſsimi huius MYSTERII cultu. ſed eâ potiſsimùm ætate, quâ perdita hæreticorum impietas, violato omni iure humano non contenta, ſacra omnia, Diuinaque peſſumdare contendit. Iſtud fuiſſe Sanctiſ-

ſimæ TRINITATIS propoſitum S. Iulia-
na denuntiauit: Eam Vrbani quarti, Cle-
mentis quinti, Ioannis vigeſimi ſecundi,
ſummorum Pontificum mentem fuiſſe o-
ſtendimus. Summum id præterea votum
fuit Martini quinti, Eugenij quarti Roma-
norum item Pontificum. Nam certè cùm
70. * anno milleſimo quadringenteſimo deci-
mo ſeptimo, propter infame ſchiſma, quo
diſſecta triſariā Eccleſia laborabat, cœptū
ante aliquot annos celebratiſsimum illud
Conſtantiæ Concilium haberetur; legiti-
mis tandem ſuffragijs ad ſummum Pontifi-

Martinus 5. maioribus indulgētijs, & relaxatione interdicti Feſtum ornat:

catum euectus eſt Martinus quintus. Qui
inter grauiſsima negotia, quibus eum vr-
geri neceſſe erat, qui è turbulētiſsimâ pro-
cellâ, in optatam quietem, Petri nauiculam
ſuſceperat deducendam, nihil antiquius
habuit, nihilque potius duxit ad commune
Reip. bonum, quàm ſi ad religioſiorem in
dies huiuſce Feſti cultum, reuerentiamque
excitarentur Chriſtiani. Quod vt fieret, in-
gentibus è cælo promiſsis muneribus, ad-
hortatum eſſe, habemus ex *Bullario Romano*,
vltimâ eius conſtitutione, *Ineffabile Sacra-
mentum.* Cùm enim *Indulgentias*, quas vocāt,
ab Vrbano quarto conceſſas, altero tanto
auxiſſet; hæc addit: *Quodq; in feſto, & diebus
octauarum huiuſmodi, etiam in terris, & locis
Eccleſiaſtico quāuis autoritate ſuppoſitis inter-
dicto, pulſatis campanis, ianuis apertis, & altâ
voce,*

voce, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis, vt citiùs reconciliari ſtudeant, admiſſis; & illis, qui cauſam, vel occaſionem huiuſmodi interdicti dederint, altari tunc nullatenus oppropinquantibus, Miſſæ, & Officia præmiſſa licitè celebrari poßint, autoritate Apoſtolicâ concedimus per præſentes: alijs, quæ circa obſeruationem interdictorum à noſtris ſunt inſtituta prædeceſſoribus, in ſuo robore duraturis. Ita Martinus 5. Cui cùm in Pontificatum, ſimul & eximiam religionem in ſacratiſsimum hoc Feſtum ſucceſsiſſet Eugenius 4. conceſſa pariter priuilegia auxit altero tanto, vt publico teſtatum voluit, 4. ſuâ conſtitutione, *Excellentißimum.* Ea fuit horum Pontificum pietas, & religio. Quæ ceterorũ deinde fuerit, ſitq; hodie vniuerſi populi Chriſtiani, omnes oculis quotidie videmus. Faxit Deus, vt hæreticis fruſtra frendentibus, aut conuerſis aliquando potiùs ad ſaniora, inexplicabile illud Diuinæ pietatis miraculum, maiòribus in dies ſemper mortales honoribus proſequantur.

item & Eugenius 5.

ANNOTATIONES.

RErum geſtarum ordinem Scriptores non ſemper ita digeſtum nobis reliquerunt, neque ſua dixerunt tam clarè, vt multæ legentibus non oriantur difficultates; maximè ſi in vnum multi conferantur. Vnde, cùm mihi neceſſe fuerit aliquando, dum vnum, pluresúe ſequor, ab altero diſcedere, ob rationes, quas animo meo validiores arbitrabar: eas ipſas Lectori pariter eſſe dandas exiſtimaui, ne quid temere viderer aſſerere, vel etiam derogare antiquitati, boniſq; Scriptoribus. Quod equidem in hunc locum reieci, eo conſilio, quod explicaui ſuperiùs. Antiquitatis in hoc exemplum fortaſſe non habeo: ſed aliquos ætas hæc noſtra probat, mihique proponit, quos non pigebit imitari. Primùm igitur, quandoquidem ij, qui hancce priùs hiſtoriam aggreſsi ſunt, vel nullam aliquando temporum habuerint rationem, vel inter ſeſe ſubinde diſſentiant: ego, quam cenſui veriſsimam rerum ſeriem, in ſubiectâ tabulâ proponam. ſoluam deinde, quæ in ſingula capita poſſent oriri, dubitationes; vbi & chronologiæ noſtræ lux feretur.

Anni

Digitized by Google

Anni Christi	Iuliana.	
1192		S. Albertus Cardinalis, & Epiſcopus Leodienſis Martyrio Remis coronatur 20. Sept.
		Vacat Sedes.
1193	1	Naſcitur Iuliana.
1196	4	Albertus de Cuyck Epiſcopus Leod.
1198	6	Iuliana ingreditur domũ Cornelianam.
1200	8	Hugo de Petra-ponte Epiſcopus Leod.
1208	16	Videt primùm Iuliana ſignum in lunâ.
1210	18	Accipit diuinitus Iuliana Feſtum CORPORIS CHRISTI in Eccleſiâ ſanciendum.
1212	20	Leodienſium Virginũ in tuendo pudore fortitudo, & felicitas.
		Annis viginti refugit Iuliana Diuinum de nouo Feſto decretum denuntiare.
1222	30	Iuliana præficitur domui Cornelianæ.
1229	37	Hugo Epiſcopus Dominicanos Leodium admittit: & moritur. ſubſtituitur Ioannes de Apia.

ANNOTATIONES.

RErum geſtarum ordinem Scriptores non ſemper ita digeſtum nobis reliquerunt, neque ſua dixerunt tam clarè, vt multæ legentibus non oriantur difficultates; maximè ſi in vnum multi conferantur. Vnde, cùm mihi neceſſe fuerit aliquando, dum vnum, pluresúe ſequor, ab altero diſcedere, ob rationes, quas animo meo validiores arbitrabar: eas ipſas Lectori pariter eſſe dandas exiſtimaui, ne quid temere viderer aſſerere, vel etiam derogare antiquitati, boniſq; Scriptoribus. Quod equidem in hunc locum reieci, eo conſilio, quod explicaui ſuperiùs. Antiquitatis in hoc exemplum fortaſſe non habeo: ſed aliquos ætas hæc noſtra probat, mihique proponit, quos non pigebit imitari. Primùm igitur, quandoquidem ij, qui hancce priùs hiſtoriam aggreſsi ſunt, vel nullam aliquando temporum habuerint rationem, vel inter ſeſe ſubinde diſſentiant: ego, quam cenſui veriſsimam rerum ſeriem, in ſubiectâ tabulâ proponam. ſoluam deinde, quæ in ſingula capita poſſent oriri, dubitationes; vbi & chronologiæ noſtræ lux feretur.

Anni

Anni Christi	*Iuliana.*	
1192		S. Albertus Cardinalis, & Epiſcopus Leodienſis Martyrio Remis coronatur 20. Sept.
		Vacat Sedes.
1193	1	Naſcitur Iuliana.
1196	4	Albertus de Cuyck Epiſcopus Leod.
1198	6	Iuliana ingreditur domũ Cornelianam.
1200	8	Hugo de Petra-ponte Epiſcopus Leod.
1208	16	Videt primùm Iuliana ſignum in lunâ.
1210	18	Accipit diuinitus Iuliana Feſtum CORPORIS CHRISTI in Eccleſiâ ſanciendum.
1212	20	Leodienſium Virginũ in tuendo pudore fortitudo, & felicitas.
		Annis viginti refugit Iuliana Diuinum de nouo Feſto decretum denuntiare.
1222	30	Iuliana præficitur domui Cornelianæ.
1229	37	Hugo Epiſcopus Dominicanos Leodium admittit: & moritur. ſubſtituitur Ioannes de Apia.

Anni Christi	*Iuliana*	
1230	38	Incipit Iuliana aperire arcanũ ad ſe de cælo delatum.
		De eo conſulit ſapientes.
		Obit Godefridus Prior Cornelianus.
1238	46	Ioannes Epiſcopus moritur. Succedit Romæ Guilielmus Valentinus;
1239	47	Dum redit, Viterbij moritur. Vacat Sedes. Miraculũ Darocenſe in regno Valentiæ.
1240	48	Robertus Epiſcopus Lingonẽſis, fit Leodienſis ineunte Nouembri.
		Dirutâ habitatione, ſecedit ad S. Martini Iuliana. Poſt tres menſes ſententiâ Principis abſoluitur, & reſtituitur.
1246	54	Robertus Epiſcopus in ſynodo diœceſanâ Feſtum decernit. Octobris initio Foſsis æger nouum Officium de Feſto, in conſpectu ſuo celebrari præcipit: 16. Octob. ibidem moritur.
1247	55	Canonici S. Martini omnium primi celebrant Feſtum feriâ 5. poſt Dominicã TRINITATIS. Henricus Guel-

der

Anni Christi	*Iulianæ.*	
		der 6. idus Octob. fit Epiſc.
		Iuliana exulare coacta, Namurcum ſe recipit.
1252	60	Hugo Cardinalis & Legatus, dato diplomate, Feſtum per ſuas prouincias indicit, & Leodij celebrat.
1253	61	Conſules Leodij primùm creãtur.
1254	62	Petrus Capoccius Card. item & Legatus Feſtum diplomate ſimiliter confirmat.
		Iuliana cedere Salſiniâ cogitur.
1256	64	Caſtrũ Namurcenſe obſidetur.
1258	66	S. Iuliana moritur Foſsis 5. Aprilis. Miraculũ Pariſienſe.
	Poſt mortem.	
		Miraculum Duacenſe ſub hæc tempora.
1261	3	Vrbanus 4. fit Pontifex. Ad eũ rogatu B. Euæ ſcribit Henricus Epiſc. pro ſanctione Feſti: & impetrat.
1262	4	Celebratur Feſtum per vniuerſam Diœceſim Leod.
1264	6	Miraculum Vulſinienſe. Vrbanus Feſtum indicit per totã Eccleſiam: & moritur 2. Octobris. Rodolfus Magnus

Anni Christi	Iulianæ	
		Comes Habſpurgicus inſigniter colit VEN. SACRAMENTVM.
1273	15	Rodolfus Habſpurg. creatur Imperator.
1290	31	Primus lapis templi Vrbeuetani mittitur.
1305	47	Clemens 5. fit Pontifex.
1311	53	Concilium Viennenſe inchoatur.
1314	56	Clemens 5. moritur.
		Vacat Sedes.
1316	58	Ioannes 22. Pontifex creatur:
1317	59	Publicat Clementinas: & cum Feſto VEN. SACRAMENTI Supplicationem decernit.
		Miraculum Herckenrodanum.
1318	60	Celebratur tãdem Feſtum per vniuerſam Eccleſiam.

1. Præfat. TANCHELINI. Huius mõſtri perfidiam, & impietatem depingit Scriptor contemporaneus c. 34. vitæ S. Norberti apud Surium 6. Iunij, qui putat eum eſſe Hugonem S. huius Præſulis ſucceſſorem. *Antuerpiæ oppido ampliſſimo, & populoſo, vnus tantum erat Sacerdos, qui curam totius populi gerebat: ſed præ nimiâ multitudine, & frequenti negligentiâ, curæ ſuæ non ſatisfaciebat.*

bat. Nec credebatur ei, eò quòd ipſe copulâ carnali neptem ſuam in lineâ tertiâ, manifeſtè ſociam ſui ſceleris fecerat. Vnde contigit hæreticum miræ ſubtilitatis, & verſutiæ ſeductorem Tanchelinum, in eâ gente, ſuæ ſeductionis locũ inuenire. Erat is omnium hominum ſceleratiſſimus, Dei, & omnium Sacramentorum eius inimicus, & totius religionis, & Chriſtianæ fidei contrarius, intantum, vt obſequium Epiſcoporum, & Sacerdotum nihil eſſe diceret. & Sacroſancti CORPORIS & SANGVINIS D. N. IESV CHRISTI *perceptionem, ad ſalutem perpetuam prodeſſe denegaret*: aliaque pudenda perpetraret, quæ volens prætereo, vt caſtis auribus parcatur. Cùmque anno milleſimo centeſimo decimo quinto, vt notat Anſelmus Gemblacenſis, occiſus impietatis pœnas dediſſet, & perfida nihilo minùs hæreſeon ſemina pullularent; anno vigeſimo quarto, vt idem Anſelmus tradit, aduocatus Præmonſtrato S. Norbertus, inimici hominis zizania breui ſic exſtirpauit, *vt viri, mulierèſq;,* (inquit ad annum 1124. Robertus Abbas de Monte, in Supplemento ad Sigebertum,) CORPVS *Dominicum, quod in ciſtis, & foraminibus per decem annos, & ampliùs repoſuerant, attulerint, & per eius doctrinam paulatim ad fidem reſipuerint.*

2. DVACI. Thomas Cantipratanus l. 2. de apibus c. 4. n. 2. rem geſtam, ſuiſque vſurpatam oculis ita narrat: *Oppidum Dua-*

cenſe amplum, & magnum eſt, inter Cameracum à dextris via, & Atrebatum, nobiliſſimas ciuitates. Hic in Eccleſiâ S. Amati Epiſcopi, cùm Sacerdos in Paſchâ, communicato populo, Corpvs Christi *ſuper nudam terram ſtupefactus inueniſſet, & flexis genibus eleuare tentaſſet: mox per ſe in aëra ſubleuatum, panniculo, quo conſecratos digitos Sacerdos detergere ſolet, inhæſit. Clamans ergo Presbyter, Canonicos vocat. accurrunt illi; ſpectant in panno* Corpvs *viuificum, in ſpecie faciei venuſtiſſimi pueri. Et mox conuocato populo, ad ſpectaculum præſentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus viſio denegatur. Hæc cùm audiſſem famâ vulgante, veni in oppidum, quod prædixi. acceſſi ad Decanum Eccleſiæ, cui optimè notus eram. petij videre miraculum. annuens ille, præcepit vt fieret. Aperta eſt theca: cucurrit populus, moxq; vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iàm video: ecce conſpicio ſaluatorem. Stabam ego attonitus nihil videns, niſi tantùm ſpeciem panis albiſſimi, nihil quidem conſcius mihi, quare ſacroſanctum* Corpvs *cum ceteris non viderem. Nec diu mecum iſta voluebam; cùm ecce vidi faciem, in menſurâ ætatis plenitudinis Chriſti, ſpineam habentem in capite coronam, & duas guttas ſanguinis de fronte, ex vtraque parte naſi, per faciem deſcendentes. Mox igitur genibus flexis, cum lacrymis adoraui. Surgens autem, nec coronam in capite, nec ſanguinem vidi: ſed faciem hominis, ſuper omnem effigiem honora-*

tam

tam, conuerſam ad dexteram, ita vt vix oculus dexter videri poſſet. Naſus erat admodum longus, directus valdè, ſupercilia arcuata, oculos ſimpliciſſimos, & demiſſos habebat, cæſariem longam ſuper humeros deſcendentem, barbam intonſam, & ſub mento curuatam, exterminatamq́; ſub rictu iucundiſſimi oris, ex vtraq́; parte menti nudas propè à pilis habebat valliculas, vt iuuenibus apparere ſolet, qui à puero barbam nutrierunt; frontem lætam, macilentas genas, & collum longum, cum capite parum inflexum. Hoc ſchema, hic decor benigniſſimæ faciei. Eam autem diuerſi, diuerſimodè ſub vnius horæ ſpatio videre ſolebant: alij in cruce extenſum; alij quaſi ad iudicium venientem: plerique, & hoc eſt magnâ parte, ſub pueri formâ. Potuit contigiſſe hæc Hiſtoria ſub annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum, quo florebat Cantipratanus, Alberti Magni auditor, vnà cum S. Thomâ Aquinate;

3. HERKENRODAE. Cœnobium nobile eſt in agro Leodienſi Ciſtercienſis inſtituti, in quo ſacroſancta HOSTIA ad hunc diem multis celebratur miraculis: quę hoc modo cœpit clareſcere. Anno 1317. 25. Iulij, in pago Viuers Comitatus Loſſenſis, ad ægrotum quendam detulerat Sacerdos VEN. SACRAMENTVM, & dum pijs monitis ad ſacrum Viaticum hominē inſtrueret, pararetúe; apertam temere in menſâ Hierothecam reliquerat; cùm accedentes qui-

quidam nullis ſacris initiati, profanis manibus ſanctam HOSTIAM contigerunt. Sed ægro homini porrigere dũ Sacerdos deinde parat, ſanguineis infectam notis, linteoque adhærentem aduertit. Obſtupefactus rei nouitate, cum ægroto quidem diſſimulauit; miraculum verò, ſacroſanctamq; HOSTIAM ad Curionem retulit. à quo iuſſus eſt conſulere Simonem quendã Monachum Herkenrodæ agentem, & litteris, morumque ſanctitate celebrem. Eum igitur adit: ſed ecce toto itinere mirum mirandum: nam quotquot occurrebant brutæ animantes, in genua procumbebãt adorantium ſpecie. At vbi Herkenrodanam ædem ſubijt, ſubitò nemine impellente, omne campanum æs ſonuit; & Sacerdos monachus ad aram faciens, neſcius quid ipſe ageret, aut quid ſecum deferret alter myſtes, eum ingredientem magnâ corporis inclinatione veneratus eſt. Atque ex eo magnâ omnium reuerentiâ Herkenrodæ ſeruatur, coliturq; ſanctiſsima HOSTIA. Ita nuper in lucem hiſtoria prodijt Leodij anno 1623.

4. AMSTELREDAMI. Hiſtoriam hãc admirabilem habet Molanus 16. Martij. additque deiectâ domo, in quâ prodigium id contigerat, ſacram ædem poſitam eſſe. Quæ cùm conflagraſſet, vt oſtendimus; nouo *miraculo excitati ciues, ſacellum aliud*

ſplendi-

Digitized by Google

ſplendidius erexerunt, magnificè dotarunt, & mirificè exornarunt. Vnde Dominus, qui honorantes ſe honorat, locum illum ſacrũ, & VEN. SACRAMENTVM *miraculis illuſtrauit. Diuerſi enim, qui ad hunc locum vota vouerunt, liberati ſunt à dæmonum impetitionibus, à naufragij extremis periculis, à vinculis in Barbariâ, Hiſpaniâ, & Galliâ, à dolore partus, ab exulcerationum puncturis, & ab alijs miſerijs. Paruulis quibuſdam abſque baptiſmate mortuis vita eſt reddita, vt Sacramenti regenerationis participes ſaluarentur. amiſſæ res ſunt recuperatæ. furti ſuſpicione ſeſe maculantibus pax eſt reddita, dum huc precaturi properarent, & res palam appareret.* Quę ex proprio Feſti officio Amſtelredami excuſo deſumpta ſunt.

5. LOVANII. Hoc miraculum habes apud Erardum VVinheim Carthuſianum, in eius Sacrario Agrippinenſi, Eccleſiâ decimâ nonâ, in hæc verba: *Anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, quidam adoleſcens, cui nomen Ioannes à Coloniâ, Middelburgi cuidam nobili, ac religioſæ matronæ famulabatur, vitæ diſſolutæ homo. Sæpius ergo de meliori vitâ aſſumendâ, ab eâ incaſſum admonitus, cùm tandem in Paſchate Confeſſionem ſimulans cõmunicaſſet,* VEN. SACRAMENTVM *ilico conuerſum, carnis ſpeciem induit, atque ex maſticantis ore tres* SANGVINIS *guttas in mappam, quæ communicantibus anteponitur, ſtillauit. Aſſeruatis igitur inter ſa-*

cras

cras reliquias ſpeciebus illis; illoq́ pænitente, & in virum alium conuerſo; ſacrum illud pignus tam diu remanſit Middelburgi, donec Coloniam Archiepiſcopi iuſſu delatũ (olim enim Archiepiſcopatui Colonienſi ſubijciebatur Middelburgum) in Eccleſia S. Auguſtini, ad inſtantiam Prioris optimè de eo meriti, pro præmio reconditum fuit. Ad cuius aduentum omnes thecæ reliquiarum, in Eccleſiâ Auguſtinianorum, vltro citroq́ ſeſe reſerantes, ita apertæ, tantis reliquijs reuerentiam quaſi exhibendo, primas detulerunt inter ſe collocandis, præſtolabundæ. Et licet Sacramentales reliquiæ hæ multis prodigijs claruerint, magnamq́ populi deuotionem excitarint, ſingulare tamen quid accidit, quando ijs V. P. F. Ioannes Gheeſt Prior monaſterij Louanienſis in Brabantiâ affectus, partem aliquam ſibi dari petijt. Cùm etenim quantumuis maſticatæ, nondum diuiſæ eſſent ſpecies, viſum fuit, eas ferro non diuidere; ſed rem totam ieiunijs, & obſecrationibus Deo committere; quibus integro triduo probè obſeruatis, ſpecies illæ dentium veſtigia retinentes, ſine vllâ humanâ ope ſeparatæ, parte Coloniæ relictâ, præfato Louanienſi Priori, cum tribus guttis ſanguinis in linteum delapſis, conceſſæ ſunt. A quo tempore tam Coloniæ, quàm Louanij Confraternitas tituli VEN. SACRAMENTI *inſtituta fuit, crebris vtrobique miraculis eã excitantibus: prout hæc litteris Louanij erectis, in archiuo monaſterij FF. Eremitarum Ordinis S. Auguſtini recluſis, latiùs declarantur.*

Digitized by Google

rantur. Quæ omnia VVeinhemius accepiſſe dicit à Nicolao Nothæno Priore Colonienſi. Eadem habet Stephanus Idens Canonicus Bruxellenſis. quibus omnino ſimilia accepi Louanio. vbi in Auguſtinianorum templo plurima, illuſtriaque viſuntur deſcripta miracula. Inſtituitur autem Supplicatio, Dominicâ poſt Octauam VEN. SACRAMENTI.

6. BRVXELLIS. Immane hoc ſacrilegium tradit Molanus 13. Iulij, à Iudæis perpetratum ipſo die ſanctę Paraſceues, aduerſus ſedecim circiter ſacras Hoſtias, quarum vna erat maioris formæ; è quibus tres ad S. Gudilæ Bruxellis aſſeruātur. Et tum quidē, addit Molanus *Iudæorum ſacrilegium VVenceſlaus dux ſupplicio puniuit. ipſum verò* SACRAMENTVM, *tā indignè tractatū, poſtmodum miraculis claruit. quorum quædam ex Notariorum publicis inſtrumentis excuſa exſtant.* Bredenbachius editione Colonienſi anni 1599. l. 1. c. 73. enarratâ hac hiſtoriâ profert miracula 31. Totam hiſtoriam ſcripſit Stephanus Idens.

7. NONOQVE LABENTE, SECVLO. Ioannes Scotus ſub annū octingenteſimum imperante Carolo Magno, de veritate CORPORIS & SANGVINIS CHRISTI, in Sacramento EVCHARISTIAE, dubitare cœpit, ediditque librum. de quo Lantfrancus, cùm feciſſet mentionem Concilij Viennen-

Viennenſis, ita loquitur aduerſus Berengarium: *In quâ inaudientiâ omnium, qui de diuerſis huius mundi partibus illuc conuenerant, Ioannis Scoti liber de* EVCHARISTIA *lectus eſt, ac damnatus.* Regnante deinde Carolo Craſſo, ſub annum octingenteſimum octogeſimum ſextum, Bertramus quidam, id ipſum in EVCHARISTIA CORPVS eſſe negauit, quod de Virgine natum erat. Eum confutauit, qui illo ipſo tempore florebat, Paſchaſius Corbeienſis: *Scripſit enim* (inquit Trithemius) *ad Placidū quendam noſtri Ordinis Abbatem, opus inſigne, de Sacramento altaris librum vnum.*

8. IN OCCIDENTE. In Oriente Iconomachi, ab ipſo anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, in Conciliabulo Conſtantinopolitano, quod ſeptimam Synodum vocabant, ceteris imaginibus reiectis, vnam illam cenſuerunt eſſe retinendam, quam Chriſtus in vltimâ cenâ inſtituerat. Sed legitima, & Oecumenica Synodus ſeptima, anno demum ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo Nicæam conuocata, cum recitarentur acta conciliabuli, cohorruit ad inauditam hæreſim; & Actione 6. damnauit. Ita Synodus 7. Actione 6. tomo 3. Conciliorum. Baronius anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo. Bellarminus lib. 1. de Sacramento EVCHARISTIAE c. 1.

Digitized by Google

9. EPISCOPO DVRANDO. Scripſit ad Regem Franciæ Durandus, ne aduerſus Berengarium Concilium cogeret autoritate regiâ, quâ Brunonem Epiſcopum Andegauenſem, Berengarij complicem coërcere non poterat, qui vnius Summi Pontificis ſententiæ ſubiacere deberet. Obtinuitque apud Regem Eccleſiæ Catholicæ ſtudioſiſſimum; adeò vt, quamdiu regnauit Henricùs, cum ſuis Berengarius obmutuerit. Exſtat hæc Epiſtola apud Baronium anno 1035. item tomo 3. bibliothecæ Patrum columnâ 1291.

10. ADELMANNO. Habes eius ſcripta tomo 3. bibliothecæ Patrum columnâ 949. Elogium autem hoc breue ex Trithemio de Viris illuſtribus Germaniæ. *Adelmannus Grammaticus, ex Clerico Leodienſis Eccleſiæ, Brixienſis Epiſcopus; vir in Diuinis Scripturis ſtudioſus, & eruditus, & in ſecularibus litteris non mediocriter doctus, Philoſophus, Poëta, & Dialecticus ſuo tempore famoſus, carmine excellens, & proſâ. Scripſit gemino ſtylo quædam non ſpernenda opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit; è quibus exſtat libellus non iniucundus de* CORPORE & SANGVINE *Domini, ad Berengarium Turonenſem, quondam apud Fulbertum Carnotenſem condiſcipulum ſuum, iam nunc errores de hac re dogmatizare incipientem; in quo multis Scripturarum teſtimonijs contra eum nititur.*

tur. De eâdem re ad Paulinum Primicerium Metenſem epiſtolam dedit. Ad diuerſos epiſtolas multas ſcripſit, & quadam alia.

11. LONGE POSTEA CONSCRIPSERE. Exiſtimat Baronius regnante Henrico, quem ad orthodoxam veritatem prudenter propugnandam obfirmauerat Durandus, non auſum mutire Berengarium. neque ergo opus fuit Scriptoribus aduerſarijs.

12. SECVTVS EST ALGERVS. Magnam hic obtinuit famam eruditionis, & ſanctitatis: de quo Cluniacenſe Chronicon ita loquitur. *Tempore S. Hugonis vſque ad Petrum Cluniacenſem, vixerunt Religioſi religioſè Heſelon, Theſelinus, & Algerus; qui fuerunt Canonici in Eccleſiâ Leodienſi, magni ſuis temporibus magiſtri*: & poſt pauca. *Algerus ab infantiâ totum ſe litterarum ſtudio tradens, ſub clariſſimis viris, quorum ſcientiâ, & honeſtate morum tunc temporis Leodienſis fulgebat Eccleſia, & Francia illuſtrabatur, nobiliter floruit; adeò vt nulla Chriſtianæ fidei regula ei credatur incognita.* Trithemius de viris illuſtribus Germaniæ ſic loquitur. *Vir in ſacris Scripturis iugi ſtudio exercitatus, veterum quoque lectione diues, atque in ſecularibus litteris magnificè doctus; ingenio cautus, & diſertus eloquio, carmine valens, & proſâ. Scripſit inter alia ingenij ſui opuſcula, volumen inſigne, de* SACRAMENTO ALTARIS *libros tres: de*

eadem

eâdem re contra Berengarium librum vnum : de gratiâ quoque Dei , & libero hominis arbitrio librum vnum. Alia inſuper nonnulla ſcripſiſſe dicitur. Petrus Cluniacenſis de eius ſcriptis in Berengarium itá ſenſit. *Lantfrancus contra hæreſim Berengarij benè, plenè, perfectè ſcripſit: Guitmundus meliùs, pleniùs, perfectiùs: Algerus optimè, pleniſſimè, perfectiſſimè.* Tres eius libri de Sacramento CORPORIS & SANGVINIS Domini leguntur tomo 6. Bibliothecæ Patrum columnâ 451.

13. NICOLAVS DENIQVE 2. Nicolaum 2. fuiſſe Canonicum Leod. ait Monfortius in Chronicis Holl. & noſtrates quidam alij. Berengarium verò compulſum ab ipſo errores ſuos damnare, ait Baronius ad annum 1059. ex Lantfranco, & Algero: quorum hic l. 1. c. 19. ille ipſo ſtatim initio libri, quem aduerſus Berengarium ſcripſit, hanc Fidei profeſsionem à Berengario editam in Romano concilio, referunt in hæc verba: *Ego Berengarius, indignus Diaconus Eccleſiæ S. Maurilij Andegauenſis, cognoſcens veram, & Apoſtolicam Fidem, anathematiſo omnem hæreſim, præcipuè illam, de quâ hactenus infamatus ſum; quæ adſtruere conatur, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum, & nō verum* CORPVS *&* SANGVINEM D. N. IESV CHRISTI *eſſe: nec poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo Sacramento, manibus Sacerdotum*

 tractari,

tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Conſentio autem S. R. Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi: & ore, & corde profiteor, de Sacramento Dominicæ menſæ eam fidem me tenere, quam Dominus, & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc S. Synodus, autoritate Euangelicâ, & Apoſtolicâ tenendam tradidit, mihiq́; formauit: Scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem, non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum CORPVS & SANGVINEM D. N. IESV CHRISTI *eſſe; & ſenſualiter, non ſolùm Sacramento, ſed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: iurans per ſanctam, & homouſion* TRINITATEM, *& per hæc ſacroſancta Chriſti Euangelia. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Quod ſi ego ipſe aliquando contra hæc ſentire, ac prædicare præſumſero, ſubiaceam canonum ſeueritati. Lecto, & perlecto ſponte ſubſcripſi.* Sed non conſtitit ſibi impius Proteus, & turpi leuitate in omnem ſe dedit formam.

14. SCRIPTA IBIDEM EIVS. Aſſeruat Capitulum Leodienſe diploma Vrbani Papæ 4. datum apud Vrbem-veterem 15. cal. Ian. anno Pontificatus 3. quo poteſtas eidem Capitulo fit excommunicandi, & ſuſpendendi eos, qui Eccleſiæ vim inferunt. Vbi diſertè hæc habentur. *Cùm res pia,*

pia, & digniſsima videatur, vt nos, qui olim in minori officio conſtituti, Archidiaconatus officium in eâdem Eccleſiâ Leodienſi geſsimus, &c. Tabularium Martinianum habet eiuſdem Vrbani epiſtolam ad B. Euam. ſed de hac poſteâ. At Collegium S. Crucis breuem eius commentarium ſeruat, cum hac inſcriptione: *Quo modo boni Canonici ſe gerere ad matutinum officium, & in eodem qualiter ſe habere, ac etiam quid debeant poſt ipſum officium meditari.* Incipit in hæc verba: *Olim Canonici in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis,* &c.

15. NON DEFVERINT OLIM QVI SCRIBERENT. Totam Iulianæ vitam, duobus libris luculentè in primis habemus ab anonymo quodam ſcriptore Vitæ ſanctæ Iulianæ, qui Ioanne de Lauſanâ, fidiſſimo virginis amico perfamiliariter vſus eſt. Cuius ſcriptis quæ fides habenda ſit, ex eius præfatione ad l. 1. accipe: *Quæ conſcripta ſunt,* (inquit) *à venerabilibus, & fide dignis perſonis cognita ſunt, & relata: quarum quædam, etſi non omni, tamen multo tempore, quo vixit, cum ipsâ conuerſatæ, quædam etiam ſpecialem amicitiæ gratiam conſecutæ, de vitâ, & virtutibus eius plurima cognouerunt, & ſine fermento falſitatis, ſciſcitantibus nobis narrarunt. Quæ quidem per diligentiam vnius valde religioſæ perſonæ veluti quædam fragmenta, ne perirent, in linguâ Gallicâ litteris commendata,*

& per D. Ioannem de Lauſanâ, Canonicum S. Martini Leod. admirandæ ſanctitatis virum, approbata ſunt. Hanc vitam Gallicè ſcriptam, in libello M. S. peruetuſto ſeruat Domus Corneliana: quam anonymus hic noſter Scriptor, ex conſilio Ioannis de Lauſanâ vertit in Latinum; immo multis additis locupletauit. Pio magis, quàm Latino ſcripſit ſtylo: ſed neglexit temporum rationem, ac ordinem rerum; ſtetitque in ſanctę Virginis morte. Eius exemplum perantiquum in tabulario Corneliano repertum, cùm Pariſijs perijſſet inter manus Typographi, qui dũ edere pararet, abierat è viuis: Lambertus Ruitius, domus Cornelianę Vicarius, ex antiquo M. S. codice, in domo ad Cathenam, ſcripto anno Domini 1436. exſcripſit, & cum alio Carthuſianorum Leod. exemplo cõtulit: ſeruaturq; in domo Cornelianâ. Sub annum verò 1598. cùm vertiſſet in Gallicum Ruitius, edidit in lucem, animo meliore, quàm felicitate, propter ſtylum, vt arbitror, rudiorem. Ceterùm Scriptorem hunc, quia nomen ſuum non prodidit, dux tamen mihi ſcribendorum præcipuus eſt, AVTORIS NOSTRI nomine produco, vbi opus videtur. Hunc non longo interuallo ſecuti ſunt, Ioannes Hocſemius Canonicus Leod. Ioannes Vltramoſanus, & Ioannes VVarnantius, qui inter res à popularibus ſuis geſtas, hiſtoriam hanc

hanc breuiter, ſed diſertè commemorant. Scripſerunt ſub annum 1330. Eiuſdem meminit autor Magni chronici Belgici, qui vixit ſub obſidione Noueſianam, ſiue anno 1474. tandemque typis Francofurtenſibus vidit lucem anno 1607. Ioannes Dieſtemius Blærus Leodij ad Sancti Iacobi Prior, è Benedictinâ familiâ, anno 1496. ſcripſit eâdem de re Commentarium in decem diſtributum articulos. Hunc ſimul cum Fanio propriâ exaratum manu miſit Duacum idem Ruitius, vt ei ſubiungeretur libro, qui *Speculum Exemplorum* inſcriptus, nouâ editione in lucem ibat anno 1603. factum eſt: euentu, vt videmus, ſatis felici. Vterq; ibidem in Bibliothecâ Societatis IESV aſſeruatur; & Leodij pluribus in locis. Placentius ſub annum 1500. typis vulgaſſe primus, quod ſciam, videtur, cum catalogum edidit Epiſcoporum Leodien. ſed ſcriptor haud ita celebris, hiſtoriam non admodum illuſtrauit. Eodem labente ſeculo Guilielmus Fanius, Leodij ad Sancti Martini Canonicus, idem argumentum libello pertractauit: at nondum typis prodijt in publicum. Eximium lumen additum debetur Ioanni Molano Theologo Louanienſi, qui in Natalibus Sanctorum Belgij, 5. Aprilis Sanctæ Iulianæ, & 30. Septembris Vrbani 4. meminit. Prodijt hic eius labor poſtumus anno 1595. Sed pe-

nultimo eiuſdem ſeculi, originem ſanctiſſimi Feſti à ſe conſcriptam publico dedit Iacobus Bourgeois, Prouincialis Ordinis Sanctiſsimæ TRINITATIS redemtionis captiuorum, ad calcem libri, in quem collegit miracula VEN. SACRAMENTI. Ioannes d'Aſsignies Ciſtercienſis Ordinis, è familiâ Camberonenſi, hodieque Nizellenſis Abbas, illuſtriores inſtituti ſui viros, Virgineſque ſcriptis duobus tomis celebrauit, & in lucem produxit anno 1603. quibus S. Iulianam inſeruit tomo 2. lib. 2. cap. 9. Inter opera Theologica poſtuma Nicolai Serarij è Societate IESV, prodiere anno 1611. libri duo *de ſacris Eccleſiæ Proceſsionibus.* quorum altero c. 9. veram ſacratiſsimi Feſti originem tradit, reiectis aliorum opinionibus; eamque validis tuetur argumentis. Ioannes Chapeavillus Can. & Vicarius Leod. rebus patrijs in lucem erutis, addidit breuẽ de huius Feſti exordio commentariũ, ann. 1613. Deniq; anno. 1616. Bzouius ex ordine Dominicano tomo 13. quem Annalibus Cæſaris Baronij Cardinalis ſubiecit, ad annum 1230. inſeruit totum libellum Ioannis Dieſtemij Blæri, ita præfatus. *Hoc ipſo anno in Belgio mirum mirandum in admirando* EVCHARISTIAE *Sacramento accidit, propter quod poſtea Vrbanus 4. feſtiuitatem SS.* CORPORIS, *vt in Diœceſi Leod. publicam eſſe iuberet, motus eſt.*

His

His diutius Lectorem detinui, vt conſtaret, quos autores mihi ſequendos propoſuiſſem: ita tamen, vt oblatam à bonis alijs Scriptoribus lucem aliquam, ſubſidiumque, aut etiam ſupplementum, lubentiſsimè admiſerim, quoties occurrit.

16. Cap. 1. RETINNA. Ciuis fuit Leodienſis Iuliana, quia Retinna cis fines eos ſita eſt, quos vrbi circumſcribit leuca *bannalis*, vt loquuntur; populus enim Leodienſis vniuerſus, pars vrbem, adiacentem agrum pars inhabitat; ſed pari gaudent vtrobique iure, etiam ſuffragij ad comitia, cùm Conſularia, tum alia quæuis: ijſdem item legibus vtuntur, Ciueſque ſunt, & nominantur, atque Conſulibus æquè parent. Conſularis porro huiuſce Prouinciæ terminos idiomate vulgari *Bannalem* leucam vocant, quamquam aliquando leucâ minùs, ad duas aliquando leucas, ſiue ſex paſſuum millia extendatur. Verùm de his aliàs fuſiùs, ſi Deus annuat, dabitur diſſerendi locus. Ceterùm hodie nihil Retinnæ, niſi per meram coniecturam, habetur de loco natali S. Iulianæ. Quædam domus antiquum Abbatiæ nomen retinent: exiſtimo villam olim fuiſſe Cornelianæ domus, eodem loco poſitam, quo fuerint ædes parentum S. Iulianæ. Sed iam bonis in emphiteoſim datis, nullum Cornelianæ

villæ nomen eſt. In eodem præterea pago fons eſt, quem incolæ, S. Iulianæ appellant; quâ ex causâ, nihil affertur.

17. PAR CONIVGVM EGREGIVM. Ita Autor noſter lib. 1. c. 1. *clarus progenie, diuitijs pollens Henricus.* Fanius etiam honeſtâ familiâ natam aſſerit. mirum ergo eſt Ruitium epiſtolâ ſuâ ad Conſules Leodienſes, quam vitæ S. Iulianæ præfixit, tam operosè adſtruere eius familiæ humilitatẽ.

18. ANNVS VERTEBATVR 1193. Chapeavillus c. 1. ait natam anno 1191. atque ita obijſſet Iuliana anno ætatis 68: cùm tamen disertè affirmet Autor noſter mortuam eſſe anno 66. labente nimirum: nam vt primum euolutus eſt annus, alius mox inire dicitur. ideoque plus eſt obijſſe natam annos ſexaginta ſex, quam anno vitæ ſexageſimo ſexto: quæ duo in vnum confudiſſe videtur Chapeavillus. eius igitur ſupputationi hac ex causâ vnus annus detrahendus eſt. Alterum præterea detrahit neceſſariò littera Dominicalis. cõſtat enim mortuam eſſe feriâ 6. quæ incidebat in 5. diem Aprilis. atqui anno 1257. quo mortuam eſſe vult Autor noſter, feria 6. incidebat in 6. Aprilis. relinquitur ergo vt vitâ abierit anno 1258. quo feria 6. & 5. Aprilis in vnum conueniunt. atque ita altero anno tardiùs natam eſſe Iulianam neceſſe eſt, anno ſcilicet 1193.

19.

19. SANCTVS MARTYR OCCIDISSET. In gratiam Comitis de Horſtade, quem in paucis carum habebat Henricus Imperator, Lotharium eius Fratrem, Præpoſitum Bonnenſem, iubebat Epiſcopum Leodienſem, intercedente fruſtra Clero principe, qui Sanctum Albertum adſciuerat. Eum à Pontifice confirmatum, creatumque Cardinalem, & nuper etiam Remis conſecratum, cùm accepiſſet; ſicarios ſubmiſit, qui Sanctum Antiſtitem ad portas Remenſes ſacrilegè obtruncarunt. Fusè hæc habentur apud Aegidium Aureæ Vallis à c. 57. ad 91. Hunc ante paucos annos Sereniſsimus Belgij Princeps Albertus Auſtriacus, à Rege Franciæ ſibi donari petijt, & magna religione Bruxellas intulit.

20. Cap. 2. IN DOMIBVS LEPROSORVM, ET HOSPITALIBVS PAVPERVM. Aliter Fanius, qui exiſtimat hoc quidem Iulianæ tempore fuiſſe *Cœnobium Veſtalium Virginum, poſtea Præmonſtratenſis Ordinis Monachorum, hodie Carthuſianorum & Leproſorum domicilium.* Sed fallitur: cùm æquè tunc, atque hodie alia domus verticem montis inſideret, ad pedem montis iaceret alia: nec vtraque, vt velle videtur, ad Veſtalium Virginum Cœnobium pertineret. Nam Autor noſter lib. 2. c. 26. diſertè affirmat euocatum è ſuperiore domo Præmonſtratenſem Monachum, qui in inferiore,

ſeriore, in quâ viuebat Iuliana, Priorem ageret. ergo tum ſeparata fuerunt domicilia. Conſtat verò Adelberonem Epiſcopũ, qui anno milleſimo cẽteſimo vigeſimo octauo obijt, in monte Corneliano ſtatuiſſe Monaſterium Præmonſtratenſe: Iuliana verò nata eſt demum anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo. Porrò Præmonſtratenſes, cùm à Limburgenſi nobilitate, multa, hoſpitalitatis nomine paterétur, anno milleſimo ducẽteſimo octogeſimo octauo domum ſuam Epiſcopo tradiderunt, acceperuntque viciſsim ab eo, illam, quam hodie inhabitant in ipsâ vrbe, ad moſam loco perameno: vnde Fratres Minores non multò antè migrarant ad locum, vrbe ferè mediâ, inſtituto ſuo opportuniorem. Epiſcopus verò in Corneliano mõte tum quidem arcem conſtruxit: ſed anno tandem milleſimo treceteſimo quinquageſimo ſeptimo, Engelbertus à Marka, item Epiſcopus, attribuit Carthuſianis, qui in hodiernum diem magno Numinis honore locum tenent.

21. SECVNDVM S. AVGVSTINI REGVLAM. Molanus ait S. Iulianam Virginibus Ciſtercienſibus in domo Cornelianâ præfuiſſe. Vnde Ioannes d'Aſsignies Abbas Nizellenſis feminis illuſtribus ſui Ordinis inſeruit. Chapeauillus in eâdem opinione eſt. Sed vnde hoc in mentem recentio-

Digitized by Google

centioribus ſcriptoribus? Ciſtercienſe inſtitutum Iulianæ cordi fuiſſe ſatis conſtat: S. Bernardi ſcriptis admodum delectabatur; pulſa gynecæo Corneliano in Roberti-montem, in Vallem-benedictam, in Vallem-noſtræ-Dominę, ac denique Salſiniam ſe recepit; poſtremòque Villarij ſepeliri voluit: quæ omnia Ciſtercienſis ordinis domicilia ſunt. Sed ideóne Ciſtercienſem diſciplinam amplexam eſſe dicemus? Hodie profectò in domo Cornelianâ nulla vllius regulæ mentio, niſi Auguſtinianæ; in quâ etiam vota emittuntur. Adeò vt aſſerenti Iulianam fuiſſe Ciſtercienſem, neceſſum videatur probare, Ciſtercienſem diſciplinã ibi aliquando mutatam eſſe in Auguſtinianam. ſed huius ſentẽtiæ antiquum autorem nemo dabit. Et Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis, autor grauiſsimus, & Sanctæ Iulianæ ſynchronus, Leodij hoc ipſo tempore fuiſſe tradit familiam, quæ ex S. Auguſtini regulâ, ijs fungebatur muneribus, quæ vſurpata fuiſſe in Cœnobio Corneliano, ex totâ vitâ S. Iulianæ clariſsimè conſtat. atqui ſi Cornelianam excipis, nullum alibi ſupereſt Leodij familiæ huius veſtigium. Si Iulianam Ciſtercienſem dicendam eſſe contendat aliquis, quòd Namurci in Antiſtitæ Salſinienſis diſciplinam, ſiue, vt vocant, *Obedientiam* ſe dederit: neq; id ego conceſſero: tum quia

ſodalibus

ſodalibus ibidem mortuis, Leodio Ermentrudem euocauit, ne ſola Monaſterio ſuo euagari videretur: quod timeri nullâ ratione poterat, ſi Salſinienſibus ipſa fuiſſet accenſa. tum maximè quòd ipſamet, cùm Salſiniæ ageret, Priorem Cornelianum ad ſe venientem exceperit, non ſecus ac animæ ſuæ præſidem, & Paſtorem; eoque nomine commendauit Ermentrudi. Quibus efficitur, eiuſdem tum iuſtituti fuiſſe, cuius fuerat, cùm domum Cornelianam incoleret: ſiue in Auguſtinianâ familiâ, vti vixerat, ita extremum poſuiſſe ſpiritum.

22. LEODII IN LOTHARINGIA. Eam Galliarum partem, quæ Auſtraſia primitus dicta eſt, Lotharingiam à Lothario appellatam fuiſſe, nemo antiquitatis mediocriter peritus ignorat. in quâ cùm Leodium eſſet, non mira magis videri debet huius, & aliorum iſtius ætatis ſcriptorum ſententia, quàm ſi hodie diceremus, Leodium in Belgio. Porrò quàm latè patuerit olim Lotharingia, vel etiam Auſtraſia; quibus Regibus, Principibuſúe paruerit: dabitur, vt ſpero, tempus diſputandi.

23. CORNELIANAE DOMVS LEODII CONDITORES: Eos aſſerit Ruitius fuiſſe Conſules. Verùm ſatis hæc cohærere nòn videntur; cùm inſtitutus primùm Leodij fuerit hic Magiſtratus ſub Henrico Gueldro Epiſcopo, anno poſt Chriſtum natum

natum milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio, ſiue ſexageſimo primo vitæ Iulianæ, quæ tamen quinquennis in hac domo viuere cœpit. Eam igitur condere non potuerunt Conſules: at Senatus, ſiue Scabini: quibus tum temporis ea ſuit poteſtas omnis, quam hodie Conſularem vocant.

24. Cap. 4. LITTERAS DISCEBAT IVLIANA SIVE LATINAS, SIVE GALLICAS. Latinè doctam fuiſſe, ipſa eius vita demonſtrat ſæpiſsimè: ſed tum maximè cùm Officium de VEN. SACRAMENTO, quod conſcribi curauerat, corrigendum ſuſcepit. Quod ſanè virginibus iſtius ætatis inſolens non fuiſſe, multis exemplis probare poſſem: ſed mihi hoc ſatis ſit; teſte Trithemio, Eliſabetham Abbatiſſam Schonaugienſem, ſub annum 1165. & ſub annum 1180. Heldegardem Abbatiſſam S. Ruperti, ſcriptis etiam editis claruiſſe.

25. Cap. 7. ADHVC ADOLESCENS. Autor noſter l. 2. c. 5. ait viſum hoc Iulianæ oblatum primâ ætate. Blærus Articulo 1. *primis infantiæ annis* Fanius verò reijcit in annum Chriſti milleſimum ducenteſimum triceſimum, eoque tempore Iulianam appellat puellam, cùm tamen annum ageret triceſimum octauum. Verùm id ab ipſo probari non poſſe arbitror. Si enim hæc lunæ diffractæ ſpecies obiecta Iulianæ primùm

mùm eſt anno triceſimo, certè aliquanto tempore hæſit conſilij Diuini ignara. faciamus poſt duos annos diuinitus edoctam eſſe: at totos viginti annos ſiluit, neminiq; mortalium aperuit decretũ Diuinum. Viros ergo illos ſapientes conſuluerit anno Chriſti quinquageſimo ſecundo, ſiue ſexageſimo vitæ ſuæ; cum tamen Hugo, ante ſeptem, octoúe annos creatus Cardinalis, hoc ipſo anno Feſtum iam diu à Martinianis vſurpatum confirmarit. quo item anno procul aberat Iacobus Pantaleon, mox Vrbanus 4. Denique Robertus Epiſcopus, qui primus hoc Feſtum ſanxit, obierat anno quadrageſimo ſexto. Aliter ergo, quàm Fanius, dicendum eſt; qui in hanc fortaſſis abiji ſententiam autoritate Blæri, hunc annum ſuo libro præfigentis. quę etiã cauſa Bzouio fuerit, vt huic eidem anno tribueret. Ego verò totos viginti annos huic ſupputationi detrahendos cenſeo: adeòque ante annum Chriſti milleſimum ducenteſimum decimum, oſtentum hoc Iulianæ viſum eſſe, cùm iam adoleſceret ipſa, & decimum ſextum forſan ætatis annum ageret. Id probant Scriptores, quos ſuprà protuli. ſed rerum ſeries idem euincere videtur. Veniendum eſt autem ad mortem Roberti Epiſcopi: neq; enim aliquid certi priùs ſtatuere poſſumus. Incidit hæc in annum Iulianę quinquageſimum quartum, ſeculi

culi

Digitized by Google

culi illius quadrageſimum ſextum : quo etiam eodem, paucis ante mortem diebus Feſtum Corporis Chriſti decretum eſt. Porrò hic Robertus ſæpe rogatus à Iulianâ, probiſque viris, pro ſanctione Feſti, non multùm initio mouebatur : ergo diu ante mortem inaudierat. Et verò ſub initium eius principatus, cùm pulſa eſt domo Iuliana, ſparſa iam erat in vulgus fama noui Feſti, cuius inſtitutionem magnâ pecuniæ vi apud Epiſcopum eam procurare iactabant aduerſarij, vt in ciuium odium incurreret. inijt autem Epiſcopatum Robertus anno Iulianæ quadrageſimo octauo, ſeculi quadrageſimo. At quis ſibi perſuadeat tanti momenti rem Epiſcopo propoſitam eſſe, niſi maturo, prudentique conſilio priùs expenſam? Conſultus fuit Cancellarius Pariſienſis, non Leodij, vt quidem opinor, ſed Pariſijs: poſteaquã nimirum, qui Leodij erant, ſententiam dixiſſent; vt, quæ Academia tum temporis inſigni ſapientiæ famâ celebrabatur, per ſuũ Cancellarium grauius prioribus ſententijs pondus adijceret. Ita res expenſa, probataque à Theologis, ijs tandem propoſita eſt, qui autoritate ſuâ, calculoue, vel commendare poterant, vel ſancire. Plurimiq; iam tum fauebant, cùm principatum inijt Robertus, adeòque etiam commendarant. Quod mihi argumento eſt, rem antè diu ventilatam

S fuiſſe;

fuiſſe; dilatam nihilominus, tum ex immaturis Epiſcoporum mortibus, aut eorum abſentiâ, tum ex interregnis, quæ annum aliquandò tenuerunt. ita vt his omnibus, non minùs decennio tribuendum exiſtimem: & ſic ad annum triceſimnm peruenio. Mihiq; fortaſſe fauet Blærus, cùm hoc anno dicit celebratam eſſe Iulianæ famam. Quis enim dubitet, multa eſſe ſparſa tum, cùm inſolentem illam quæſtionem ſapientiſsimis viris propoſuiſſet expendendam. Quod ſi mihi datur, ſoluta eſt tota difficultas, probataque Chronologiæ noſtræ ratio. Conſtat enim, neque ambigitur, totos viginti annos à Iulianâ rem ſilentio ſuppreſſam eſſe. ergo Diuini conſilij decretum accepit anno ſeculi decimo. adijce ſi placet duos annos, quibus partim conſuluit rerum ſacrarum peritos, partim ex eorum mente, animum aliò diuertere contendit, partim etiam totius rei explicationem, cùm nihil aliud procederet, à Deo precibus impetrauit, & habebis annum ſeculi octauum. Hæc fuſiùs in vnum locum ſemel conieci, quia potiſsima chronologiæ noſtræ pars illis nititur: & ſemel dicta, multas difficultates explicant.

26. Cap. II. BRABANTIAE DVX GRAVE BELLVM. Comes de Muha Comitatum ſuum Eccleſiæ Leodiẽſi donauerat anno milleſimo ducenteſimo quarto.

Digitized by Google

Ab eius morte Dux Brabantiæ, qui, cùm cognatione Comitem proximè attingeret, hanc donationē ægrè ferebat, neſcio quod nomen, pecuniamúe debitam prætendens, præſidium imponere voluit arci, quæ Comitatus caput erat, dum ſibi fieret ſatis. Negat id facturum Epiſcopus, & Cæſarem appellat. Neque multò pòſt Dux Ottonem adit, vt quidem aiebat, Cæſarem, ſed reuera priuatum hominem, (vt contrà aſſerebat Epiſcopus) & Apoſtolicâ ſententiâ ſacris interdictum: eamque ob cauſam, eius ſenṫentiæ ſe pariturum negat Epiſcopus, neque adit. Pupugit hoc Ottonem; qui Duci dat in mandatis, vt ciuitatem Leodienſem vel in officio contineat, vel funditus euertat. Redit ille, & diſsimulato primùm conſilio, fecit deinde, quod humanæ vires potuerunt. Malum in autores Deus poſtea retorſit. Hæc multis habes apud Aegidium Aureæ vallis à c.. 99. ad 116. & toto libro Scrptoris anonymi, ſed ſynchroni, de Thriumpho Sancti Lamberti in Steppes obtento.

27. Cap. 22. AD SVPERNAM LABORVM MERCEDEM EVOCATA. Ante nonum & viceſimum Iulianæ annum, mortuam eius eſſe nutricem cenſeo: quandoquidem primæ mortalium omnium Euæ, Numinis voluntatem ſibi diuinitus nunciatam aperuerit; ac Iſabellam deinde in

arcanorum ſuorum ſocietatem admiſerit: nulla verò Sapientiæ mentio inferatur; cui tamen penitiſsima mentis ſemper eſſe voluit aperta, vt c. 7. oſtendimus.

28. Cap. 27. GVIDO CAMERAC. EPISCOPVS. Præter ea, quæ in hac hiſtoriâ inueniuntur, mihi plura quærenti nihil vſquam occurrit de Guidone ſiue Guiardo Epiſcopo Camerac. præter hæc pauca apud Thomam Cantipratanum. qui l. 2. de apibus c. 3. n. 5. ait, cùm aliquando diſputaretur, poſſetne Simoniæ crimen à Summo Pontifice admitti: *ſuper hac quæſtione, quidam maiorum Eccleſiæ à Venerabili Magiſtro Guiardo Cameracenſi Epiſcopo, Lugduni, vbi Papalis Curia tenebatur, ſub ſpecie ironiæ quæſiuit, dicens: Crediſne tu, Frater Epiſcope, quod Summus Pontifex poßit committere ſimoniam. Ad quem ille audaci vultu conſpicuus: Non credo, inquit, Sancte Pater, immo potiùs certißimè ſcio, quòd viliorem Papa poßit, quàm ego, vel alius in toto mundo. & ſi dubitaueris, vel fortè dißimulas, per Teſtamentum vetus, & nouum manifeſtè probabo. Quo audito, calumniator probra non intulit; ſed ſtatim quaſi verbo captus obmutuit; cernens vtique virum eſſe idoneum ad omnem veritatis regulam comprobandam.* Aliàs verò inſtitutâ diſputatione de pluralitate beneficiorum, vt loquuntur; ita ſententiam dixiſſe teſtatur idem Scriptor l. 1. c. 19. n. 8. *Nollem, inquit, pro*

toto

toto auro Arabiæ, vnâ tantùm nocte, duo beneficia retinere, & certus tamen eſſem, quod manè vnum illorum idoneo homini conferretur. & hoc propter incerta vitæ diſcrimen. De eius verò morte, hoc memoriâ dignum habet l. 1. c. 4. n. 4. *Venerabilis, & Deo dignus Guiardus Camer. Epiſcopus, cùm in viâ contra Antuerpienſes Hæreticos, apud Affliginenſe monaſterium Brabantiæ, in regulari obſeruantiâ ſtrictiſſimũ, vitam ſuam fine beatiſſimo terminaſſet: in ipſo tempore migrationis cuidam Fratri Prædicatorum per ſomnum apparuit Gandaui. Cui frater: Quomodo, inquit, Pater, tibi eſt? Et ille? Mortuus, inquit, ſum; & ecce ad ſatis graues tranſeo pœnas expurgandus, priuſquam ad gloriam transferar. Et mox frater: Quæ, inquit, pœnæ cauſa? Cui ille: Nimia ſeueritas me culpabilem reddidit, & purgandum. ſed via iſta, quâ contra hæreticos, pro expurgandâ Eccleſiâ auidiùs inhiabam, pœnam meam imminuet, & accelerabit gloriam nunc dilatam.*

29. Cancellarivs Parisiensis. Quis ille fuerit, nihil niſi coniecturam habeo ex Cantipratano, certè probabilem: ſed quia nihil ad hiſtoriæ noſtræ commendationem facit, huc reijcere viſum eſt. Anno milleſimo ducenteſimo triceſimo octauo, inquit l. 1. de apibus c. 19. habita eſt Pariſijs diſputatio de pluralitate beneficiorum, (in quâ ſententiam dixiſſe Hugonem de S. Caro ſupra meminimus. Trien-

nio antè, ſiue anno triceſimo quinto, ſolemni item diſputatione, ab omnibus damnata eſt beneficiorum pluralitas, duobus exceptis: quorum alter fuit Magiſter Philippus Cancellarius Pariſienſis. Qui poſtea agoniſans, monitus à Guilielmo Pariſienſi Epiſcopo, vt à ſingulari opinione recederet: & reipsâ omnibus ſe beneficijs, vno tantùm retento, abdicaret, hac conditione poſitâ, vt, ſi conualeſceret, ei ipſe de ſuo ſuppleret, quod dimiſiſſet. Ille, experiri ſe velle reſpondit, vtrum id eſſet damnabile. Pro mortuo cùm deinde Epiſcopus orare vellet, videndum ei ſe præbuit, dixitque de ſalute actum tribus ex cauſis *1. quòd recreſcentes fructus annuos contra pauperes timidè reſeruaui. 2. quòd contra ſententiam plurimorum, de pluralitate beneficiorum, meam defenſaui; & in hoc, me periculo mortalis culpæ commiſi. 3. ob ſcandalum ex diuturnâ luxuriâ.*

30. Cap. 28. OFFICIVM FVTVRO FESTO PROPRIVM. Huius officij, Iulianæ curâ conſcripti, grauiſsimorumq; Theologorum cenſurâ approbati meminit Seuerinus Binius parte 2. tomi tertij Conciliorum in Vrbano. Habetur in æde S. Martini Leodij, item S. Ioannis Baptiſtæ. *& pluribus alijs locis per Diœceſim*; inquit Chapeauillus cap. 4.

31. Cap. 29. PRIMA E TRANSALPINIS. S. Maternus Principis Apoſtolo-

Digitized by Google

rum diſcipulus, & ab eo in Gallias, ad propagandam religionem Chriſtianam, miſſus eſt Treuiros, cum SS. Euchario, & Valerio. Quibus defunctis, cùm in Epiſcopatum ſucceſsiſſet, Tungris germanæ veritatis lucem impertijt; atque apud eos ædem è Tranſalpinis primam Deo, in eius Parentis honorem poſuit. Ita Bozius de ſignis Eccleſiæ Dei l. 9. cap. 9. & paſsim Hiſtorici noſtrates.

32. Cap. 36. INDICTO ORDINIS ECCLESIASTICI CONVENTV. Autor noſter l. 2. c. 12. ſic loquitur: *Propoſuit in generali ſuâ Synodo, quæ ſingulis annis, conuenientibus Eccleſiarum Rectoribus, & Conciliorum Decanis in vnum, fieri ſolet; quod per epiſtolam ſtatuerat, viuâ voce ſolemniter publicare. Sed heu præuentus eſt morte; & quod voluit adimplere non potuit.* Blærus tamen Artic. 5. & Fanius habitam eſſe Synodum affirmant: idemque tabulæ teſtantur in templo Corneliano appenſæ, quæ licet nouæ ſint, pondus tamen aliquod merito habent, quia ſubſtitutæ ſunt ijs, quas venerabiles & antiquas Molanus appellat. Quibus libenter accedo; quòd veroſimile videatur decretum de re tam nouâ, vt vim obtineret, in Synodo proponi debuiſſe: adeòque propoſitum fuiſſe, atque deſcriptum in totidem verba, quibus exſtat hodie.

33. SED EI HVC VSQVE PERMISSA

SVNT ISTA. Molanus ait Feſtum Leodij celebratum in Collegio S. Martini, ante Pontificatum Vrbani 4. à Roberto Epiſcopo. verùm, vt quidem opinor, in errorem inductus eſt ab illo confuſo ordine rerum ſcriptarum in vitâ S. Iulianæ; in quâ ſi ſcriptionis ſeries cum ratione temporis conueniret, vera profectò eſſet Molani opinio. At certè quando Roberti mors deſcribitur, plana eſt verborum ſententia, eam cõtigiſſe antè quàm Feſtum celebraretur; neque plùs Roberto permiſſum per mortem, quàm vt priuatim, in eius conſpectu, de nouo Feſto celebraretur Officium. Additurque diſertè, à Collegio Martiniano B. Euam impetraſſe, vt Roberti Epiſcopi decretum reciperetur: non verò, vt retineretur Feſtum iam ſemel receptum; quod quidẽm dicendum fuiſſet ex Molani ſententiâ. Denique ſi Roberto Feſtum hoc ita cordi erat, vt certè fuit, in æde potiùs principe S. Lamberti, quàm in S. Martini celebraſſet.

34. Cap. 38. MAGNVM IVLIANAE PRAESIDIVM. Statim à morte Roberti Epiſcopi ſuſcitatas in Iulianam turbas eſſe mihi perſuadeo; ſimulque patriâ abſuiſſe, cùm Hugo, Cappocciuſque Cardinales Feſtum cõfirmarunt. Nam ille diploma ſuum dedit anno quinquageſimo ſecundo, hic quarto. At obſeſſum eſt Namurcenſe ca-

ſtrum

ſtrū anno quinquageſimo ſexto; quo tempore Salſiniâ, cum totâ virginum ſacrarum familiâ, cedere coacta eſt. vbi tamen aliquanto, neque breuiſsimo tempore ſedem fixerat. hic enim Iſabella diem obierat; aduenerat euocata Leodio Hermentrudis: venerat item ex vetere amicitiâ viſurus Ioannes Prior Cornelianus: multaque alia ibidem facta. Præter hæc antea Namurci tertiò domicilium mutauerat: binæ è ſodalibus vitâ functæ: multa denique geſta, quę plurium annorum decurſum poſtulát.

35. Cap. 40. ROBERTI-MONTANAM. Cœnobij huius conditorem facit Vltramoſanus Godefridum de Stennes, eumque Ciſtercienſibus Sanctimonialibus attribuiſſe anno 1216. Quoddam tamen Sacrarium ciuitatis Leod. ante paucos annos editum, ait à Godefrido ſacram ædem dumtaxat in Roberti-monte poſitam anno 1215. quam dirutā deinde reſtaurârit Lambertus à Lapide Canonicus Leod. adiectoque monaſterio Ciſtercienſibus tradiderit anno 1224. Sed hæc, vti &, quæ de Valle-benedictâ, & Valle-noſtræ-Dominæ ſequuntur, aliàs, ſi Deus annuerit, expendemus.

36. VALLEM-BENEDICTAM. Otto Decanus S. Pauli Leod. anno 1225. ædem hanc condidit, eo loco, quem tum vernaculè *Sart* appellabant, & in eâ Canonicos

Regulares collocauit: dedicauit Conrardus Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis & Legatus Apoſtolicus, & Vallem-benedictam appellauit. Anno demum 1234. ex Roberti-monte Virgines Ciſtercienſes eò deductæ ſunt, procurante Sibyllâ Antiſtitâ 3. Roberti-montanâ. Ita Ioannes Vltramoſanus. Eundem hunc Ottonem Albertus à Limborch Decanus S. Pauli in Fundatione Collegij ſui, conditorem Scholarium Leodij fuiſſe affirmat. Laurentiani verò cœnobitæ Leodij illum ipſum Abbatibus ſuis inſerunt decimum quartum.

37. VALLEM-NOSTRAE-DOMINAE. De hoc cœnobio ita idem Vltramoſanus. Albertus Comes de Moha, & d'Albor, è xenodochio opulento, quod Villarienſibus Monachis creditum erat, pulcherrimum condidit Monaſterium, & multis bonis auctum, aduocatis aliunde Virginibus Ciſtercienſibus attribuit. In honorem Noſtrę Dominæ dedicauit Hugo de Petraponte Epiſcopus Leod. anno 1202.

38. Cap. 41. QVAM MISERE LACERATA SIT. De his Hocſemius c. 3. ſub annum quinquageſimum: *Iſtis temporibus inter Clerum & Laicos primùm; deinde inter populares & inſignes,* (ſiue optimates) *eſt exorta diſſenſio. & demum ſoli populares commouentur contra Electum Epiſcopum, Canonicos, & inſignes.* Paucis graues multorum annorum cala-

calamitates attingit, quas deinde fuſiùs commemorat. Ibidem primam inuenies Conſulum, ſiue, vt vocant, Burgimagiſtrorum Leodienſium creationem.

39. Cap. 42. HIMANA HOESTEDENIA. Fuit hæc ſoror Conradi, qui Colonienſem Archiepiſcopatum adijt anno triceſimo ſecundo, & totos triginta quatuor adminiſtrauit: cuius memoria in benedictione eſt. Nam familiæ ſuæ heres, Comitatum Hœſtedenium Eccleſiæ Colonienſi donauit *cum omni ſuo iure, & attinentijs*, (inquit Petrus Merſſæus Cratepolius Minorita) *ac nobile caſtrum Are, vnà cum altero Nurberg, ac alijs quàm plurimis, de ſuà paternâ hereditate.* & poſt pauca: *Cùm autem Conradus hic multis, ac infinitis pene opibus, ac prouentibus abundaret, magnificentiſſimam baſilicam, in Diuorum Regum honorem, iam ſenio grauis auſpicatus eſt. ſi hoc æternum opus conſummatum fuiſſet, ſimile in orbe non conſpiceretur.* ita Merſſæus.

40. SALSINIAE PRAEFECTA. Monaſterium *Salſinienſe* (vt habet Sacrarium quoddam Comitatus Namurcenſis, editum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono) *Vallis D. Virginis, & S. Georgij nuncupatum, ad Sabim iuxta Namurcum, Ordinis Ciſtercienſis. Exſtructum S. Bernardi æuo, à quo & viſitatum fertur. Templum dedicauit Innocentius 2. anno milleſimo centeſimo triceſimo. Fundationem*

Digitized by Google

dationem dedit Philippus, Nobilis dictus, Marchio Namurcenſis. auxit Petrus Comes Antiſiodorenſis, & Namurcenſis, anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto.

41. SANGVINIS, ET CRVCIS. A quibus, & quo tempore, ſacris his pignoribus donata fuerit Eccleſia Namurcenſis, habe ex eius tabulario, in hæc verba: *Cariſſimo fratri ſuo Philippo Marchioni Namurcenſi, Henricus frater ſuus, Romani Imperij moderator, ſalutem, & fraternæ dilectionis affectum. Nouerit fraternitas veſtra mihi prædilecta, quòd vobis mitto per Magiſtrum Danielem de Sclauſinio clericum noſtrum, vas aureum pulchrum, & pretioſum; in quo continetur maxima pars de ligno Domini, in modum Crucis, auro circumligata, & ornata, &c.* poſt pauca: *ad remouendam autem omnem dubietatem prædictarum reliquiarum, præſentem paginam ſigilli mei munimine vobis tranſmiſi roboratam. Datum Conſtantinopoli anno Domini 1205. menſe Martio.* Sigillum in vnâ facie Imperatorem refert in ſolio ſedentem, cum hac inſcriptione: ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΕΝΡΙΚΟΣ. in alterâ cataphractũ equitem ita inſcriptum: ERRICVS IMPERATOR ROM. CVSTOS IMPERII, ET CORONAE. At de ſacroſancto SANGVINE, hæc ibidem. *Niuelo Dei gratiâ Sueſſionenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. Nouerit Vniuerſitatis veſtræ diſcretio, quòd pretioſum, & ſanctum* CHRISTI

SAN-

SANGVINEM, *à regiâ ciuitate Conſtantinopoli, noſtræ peregrinationis laboribus allatum, ad petitionem Principis illuſtris Philippi Marchionis Namurcenſis, Eccleſiæ S. Albani in Namurco habendum, de merâ liberalitate, & ſanâ diſpoſitione contulimus, &c. Actum anno gratiæ 1205.* Sigillum hinc oualis figuræ, effictum habet Epiſcopum, additis his verbis: SIGILLVM NIVELONIS EPISCOPI SVESSIONENSIS: inde verò rotundum, præfert turturem cum hac epigraphe: SIGILLVM NIVELONIS.

42. Cap. 46. IN HVNC MODVM. Hugonis Cardinalis ſanctionem habet totidem verbis Autor noſter l. 2. c. 14. cui hæc ſubijcit: *Aliam etiam idem Cardinalis edidit epiſtolam de eâdem materiâ, ſermone cõpoſitam luculento: in quâ ipſam reuerendi* SACRAMENTI *ſolemnitatem ſe celebraſſe proteſtatur. Inſuper & Petrus Cardinalis de eâdem epiſtolam compoſuit elegantem. Sed has duas epiſtolas, cùm illâ etiam quam edidit Robertus Leodienſis Epiſcopus, non credimus adnectendas, ne fortaſſis pareret copia congeſta faſtidium.* Illam alteram Hugonis epiſtolam reperire nuſquam potui.

43. Cap. 47. ORTA GRAVI DISSENSIONE. Celebratiſsimâ ſunt in hiſtoriâ Leodienſi hæc tempora; quibus Henricus Dionantius concitato frequenter ad turbas, & domeſtica bella populo, tandem effecerit,

effecerit, vt Cõſules, quos Burgimagiſtros vocant, tum primùm crearentur. Sed his aliàs longior narratio dabitur. Interea vide apud Chapeavillum, Hocſemium in Henrico Gueldrenſi c. 3. & 5.

44. In heac verba asservat. Habetur Leodij in æde S. Martini, item S. Ioannis Baptiſtæ, in eodem codice pergameno, in quo Roberti Epiſcopi litteras aſſeruari diximus: & alijs præterea locis, inquit Chapeavillus.

45. Non tvlit aeterna Maiestas. Cantipratanus iram offenſi Numinis non abſimilem prodit l. 1. de apibus c. 19. n. 10. quæ, cùm ab his temporibus procul abeſſe non poſsit, eadem fortaſſe cum hac noſtrâ non immeritò cenſebitur, licet ipſe cauſam reiecerit in beneficiorum pluralitatem: ſed vnâ plagâ Deus plerumque plura ſcelera caſtigat. Ita ille: *Ego in quâdam ciuitate Epiſcopali annis vndecim adoleui, vbi ſexaginta duo Canonici, ſub prabendis pinguiſsimis ducentarum ferè librarum Pariſienſium, in matrici Eccleſiâ ſeruiebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Vide ergo qualem vindictam Dei in ipſos vidi turpiſſimos detentores. Mihi teſtis, & Iudex ſit S.* Trinitas *vnus Deus, quòd paucos vidi eorum communi morte defungi; ſed ſubitò omnes, & reprobè mori. ita quòd quidam eorum, audito quod vnus ſociorum in nocte ſanus, manè*

mortuus

Digitized by Google

mortuus inuentus eſſet, comploſis manibus dixit: Et quid vultis? ſecundum vſum,& conſuetudinem Eccleſiæ mortuus eſt, vt videtis. Vidi ego ipſe in Eccleſiâ eâdem infra paucos annos, quatuor Archidiaconos ſic defungi. Vide, Lector; mirare miraculum. Primus eorum de equo phalerato, & grandi cecidit, fractiſq; ceruicibus exſpirauit. Secundus manè in cathedrâ ſedens, mortuus eſt repertus. Tertius in choro ſtans, cum ad Miſſam eleuatio CORPORIS *Chriſti fieret, cecidit reſupinus, & ſubtractâ loquelâ cum ſenſu, quaſi brutum animal, die tertiâ ſine Sacramentis Eccleſiaſticis eſt defunctus. Quartus Confeſſionem peccatorum,& Sacramenta recuſans, mortuus eſt; & extra cœmiterium ſepultus.*

46. Cap. 48. MARGARETA BALDVINI PRIMI. Hæc eſt illa Margareta, quæ, teſte Meiero, munificentiâ certè Auguſtali, condidit Flinas, nobiliſsimum Ciſtercienſium virginum aſceterium, ſeſquimilliari Duaco, vbi ſepulta eſt: Siluam itẽ monachorum iuxta Gandauum,& Hagam in quatuor officijs; Ordinique Ciſtercienſi attribuit. Dominicanæ verò familiæ cœnobia extruxit Gandaui, Brugis, Ipris, Bergis, Inſulis. Ea ſunt monumenta Principum verè Chriſtianorũ. Porrò huius Margaretæ filius Guido, Marchio Namurcenſis factus eſt anno quinquageſimo octauo: vt mox notabimus. quâ occaſione, eam ſibi notam, tam ſanctis deinde pignoribus Himana donauit.

47. Cap. 51. MARTHA AVGVSTA. Orientis Imperium primus Flandrici nominis tenuit Balduinus Flandriæ Comes, ſub annum milleſimum ducenteſimum tertium: cui ſucceſsit Henricus frater, ac deinde Iole ſoror; poſt Iolen matrem Robertus: poſtremus denique hic Balduinus Roberti filius. Ita Meierus.

48. AB IMPERIO FEMINAE ALIENIORES. Tributis Namurcenſes onerabat Auguſta, inquit Hocſemius: quo factum, vt illi imperium feminæ indignati, ex proſtibulo propter Salſiniam diruto, apertæ defectionis occaſionem pronis animis arripuerint; Auguſto præſertim procul in Oriente grauiſsimis bellis occupato; quem eo contemnerent liberiùs, vt ſunt mortalium animi, quo res Balduini extremo periculo propiùs aberant.

49. Cap. 53. FORIS ESSE QVAERENDAS. Creſcente ſeditione, Prætorem Auguſtæ Namurcenſes occiderant, vt volunt Meierus & Oudegerſt: quod impune non relinquendum ab Auguſtâ ſatis putabant; ſciebantque iam aduocatam in auxilium Margaretam Flandriæ Comitiſſam. Quare quo rebus ſuis proſpiciant, *clam ad Comitem Luchilburgenſem per illos nuntij diriguntur*, (ait Hocſem. c. 5.) *perſuadentes, vt maternam hereditatem veniat accepturus. Qui nimio repletus gaudio, illuc militiam dirigit: quam Namurcenſes*

Digitized by Google

murcenſes circa mediam noctem Natiuitatis Dominicæ intromittunt. ab his caſtrum die craſtinâ obſidetur. Hoc belli fuit initium.

50. EGO SANE NON EXISTIMO. Duos annos tenuit obſidio caſtri Namurcenſis: cuius Præfectus *Franco de VVeſemale baſtardus, virum ſe præbuit,* vt teſtatur Hocſem. quo toto tempore deſerta debuit manere Salſinia. Immo ex noſtrâ hacce hiſtoriâ ſatis conſtat, anno quinquageſimo octauo, Aprili menſe, quo obijt Iuliana, nondum reſtitutam fuiſſe Antiſtitam, quæ cum pluribus ſodalibus ægrotanti adfuit, & morienti.

51. Cap. 55. ITINERVM PERICVLA. Multas ſecum calamitates bella trahunt: quæ non potuerunt hoc bello non eſſe grauiſsimæ, cùm parua illa Prouincia diſsidijs internis laceraretur, externiſque inſuper obrueretur exercitibus. Auguſta enim tot malis vndique preſſa, Flandriæ auxilia implorârat, item & Campaniæ. *Margareta Flandriæ Comes* (inquit Meierus anno ſexageſimo ſecundo) *quæ teſte orbe terrarum, potiore, quàm Luceburgenſis, iure Namurcum aſſerere poterat, nihil cunctabatur agnatæ Auguſtæ, firma, atque expedita mittere auxilia, Flandrorum, Hannoniorumq; aucta viribus.* Huius belli, cuius frequens iam incidit mentio, paucis attexam finem, ex eodem Meiero. *Fertur remiſsiùs hic egiſſe, Luceburgenſiq;*

genſiq́; fautor exſtitiſſe Balduinus Aueníenſis, qui Hannonienſibus praerat; adeò vt autor fuerit dandi Luceburgenſi quindecim dierum indúcias. quæ res Campanis, qui cum Auguſtâ venerant, vſq́; eò diſplicuit, vt è veſtigio ſe domum reciperent, ſolueretur q́; in totum obſidio. (Nam Auguſta Luceburgenſem caſtrum obſidẽtem, auxiliaribus aucta copijs, exteriori obſidione cinxerat.) *Pauco tamen intercedente tempore, compoſitæ res, dexteræq́; intermixtæ; & non modò fedus, verùm & affinitas iuncta. Guido Comes Margaretæ filius, id temporis calebs, Iſabellam Luceburgenſis filiam duxit vxorem; Comeſq́;, ſeu Marchio Namurcenſium, vel Auguſtâ aſſentiente, ſalutatus eſt.* Oudegherſt hunc Auguſtæ aſſenſum videtur negare c. 117. Vt hinc videas, quàm inanes ſint ſpes mortalium, cùm ij te bonis exuant, qui opem ferre profitentur.

52. Cap. 57. CENSVIT ECCLESIAE SENATVS. Circumfertur hæc Cardinalium ſanctio. *Sanctiſſimum Sacramentum ad infirmos deferendum eſt, vt illud ſumant, non autem vt adorent tantùm; ſicuti fit in aliquibus locis; quod Pius 5. prohibuit.*

53. Cap. 58. ERAT GOBERTVS. Fuit hic ante ſuſceptum monaſticæ vitæ inſtitutum, Comes Aſpri-montenſis in Lotharingiâ, opibus, militiâque clarus. vitam habes apud Ioannem d' Aſsignies, tomo 2. hiſtoriæ Ciſtercienſis l. 1. c. 36. quam Galli-

cè

Digitized by Google

cè dedit ex Latino codice Mânuſcr. Monaſterij Villarienſis.

54. Cap. 60. IACOBVM PANTALEONEM PATRIARCHAM HIEROS. Hocſemius c. 6. nominat Iacobum de curto palatio, aitque ex Patriarchâ Hieroſolymitano creatum eſſe Cardinalem. id factum ab Alexandro quarto Fanius aſſerit. Ceteri tamen cùm domeſtici Scriptores, tum externi, quos quidem viderim, vel id omittunt, vel plerique diſertè negant.

55. Cap. 61. SED EVA. Vnus Hocſemius ita loquitur: *Inſtinctu cuiuſdam recluſæ, iuxta Eccleſiam S. Fidis, cui de Sacramento fuit oſtenſa viſio, &c.* Nota eſt S. Fidi ſacra ædes, in ſuburbano, via Traiectenſi. at huius recluſę altum apud alios ſilentium: qui conſtanter S. Iulianæ primam reuelationẽ tribuunt; Euam deinde, Iſabellamq; arcani illius fuiſſe conſcias produnt. Fuit eodem tempore alia clauſa, ſed ad S. Remacli, Iulianæ perſamiliaris, quam eiuſdẽ reuelationis participem facit Chapeavillus ad c. 6. Hocſemij: ſed quo autore nondum inueni.

56. STATO DIE INSEQVENTIS ANNI. Hocſemius vult impetratam eſſe hanc confirmationem ab Vrbano, eodem ipſo anno, quo Pontificatum inijt; quem putat fuiſſe ſexageſimum. at receptum magis eſt fuiſſe ſexageſimum primum. Fanius eam

confirmationem reijcit in annum Pontificatus ſecundum. Ego contendere nolim. nam quandoquidem ſcriptum ſit ad Vrbanum, audito ſtatim eius Pontificatu, quem inijt ſub calendas Sept. annuit Vrbanus poſtulatis, vel ſexageſimo primo exeunte, vel ineunte ſecundo. Hoc verò mihi certius eſt, anno ſeculi illius ſexageſimo ſecundo, Feſtũ Corporis Christi per vniuerſam Diœceſim celebrari cœptum eſſe. ita diſertè aſſerunt Hocſemius, Faniuſque. Et certè, ſi poſtulatum erat ab Eccleſiâ Leodienſi, quâ ex cauſâ conceſsis, tam diu non frueretur? Blærus quidem, atque ex eo Chapeauville, differunt in vltimum annum Vrbani: ſed Hocſemius, qui temporibus Vrbani multo propior fuit, cùm dixiſſet Henricum Principem Leodienſem, vrgente Euâ, petijſſe à Pontifice Feſti illius approbationem (quod ignoraſſe prorſus videtur Blærus) ita ſcribit c.6. *Quibus inductus Papa, hoc feſtum inſtituit celebrari. quod ex tunc à Leodienſibus eſt receptum: & poſtmodum* (vbi videlicet Vrbanus, anno ſexageſimo quarto, orbe toto feſtum celebrari præcepit) *continuè per plures Eccleſias in Germaniâ, & Franciâ, à Clero, & populo celebratum: ſed demum per alias vniuerſaliter Eccleſias recipitur, cùm Ioannes Papa*, &c.

57. Cap. 62. Mysterii veritatem in dvbitationem revocat.

Paulo

Paulo aliter Antonius tit. 19. c.13. §.1. *Cùm poſt confectionē Sacramēti, gutta aliqua* SANGVINIS *ex calice profluxiſſet in Corporale, Sacerdos ad occultandum defectum ſuæ negligentiæ, cooperuit parte Corporalis, & pluribus plicis hoc faciens, repertum eſt per omnes plicas tranſiſſe, & reliquiſſe ibi rubeam, ad modum ſanguinis, formam hoſtiæ in pluribus partibus Corporalis.* Ita ille. ceteros tamen viſum potius eſt ſequi.

58. Cap 63. IN HISPANIIS. Illuſtris eſt hiſtoria; audientiamque meretur. Narrat Bozius de ſignis Eccleſiæ Dei l. 14. c. 7. ex Ludouico Granatenſi, in Introductione ſymboli p. 2. & Lucio Marineo Siculo l. 5. de rebus Hiſp. c. de Sacris ædibus. *Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, cùm maximæ Mahometanorum copiæ procederent in regno Valentiæ, aduerſus exiguas noſtrorum; & res ad extremum redacta eſſet: ſex è noſtris duces ad Deum confugere, &* EVCHARISTIAE *percipiendæ conſilium ceperunt; & quando non aderant tot presbyteri, quibus cuncti milites ſua conſiteri peccata poſſent, ipſi ſex id agere conſtituerunt. Verùm, dum Presbyter iam celebraſſet ſacrum, protinus ad arma conclamatū; neque ſumendæ* EVCHARISTIAE *tempus ſuperfuit. Quocirca Deo freti duces, aduerſus inimicos proceſſere. Presbyter inops conſilij, particulas ſacratiſſimas linteolis, quæ Corporalia vocamus, inuolutas, ſub lapide occultauit.*

Victis mirabiliter inimicis, Presbyter, vt prædictos duces ſanctiſſimo Chriſti CORPORE *cõmunicaret, produxit illas particulas. Sed linteolis explicatis, vidit ſanguineis guttis reſperſas, & linteis affixas. Res diuulgata cunctos admiratione repleuit. & haud multò pòſt rumor adeſt, inimicos copijs refectis aduentare. Noſtri confirmatis præſenti miraculo animis, aduerſus illos progreſſuri, petierunt, vt ex edito loco, quaſi vexillum, in hoſtes lintea producerentur. Quo facto in fugam verſi inimici. Cùm noſtri redeuntes non conuenirent, quo loco mappulæ cum ſacratis particulis reponerentur; ſortibus res commiſſa. quibus eductis, ſcheda Dorchoræ oppiditer eſt lecta. Sed vt Dei voluntas eſſet teſtificatior, conſenſere, vt pixidi incluſæ particulæ; ſummâ cum reuerentiâ, ſupra mitem mulam collocarentur; & quò illa libertati ſuæ relicta pergeret, & vbi conſiſteret, ibi locus eſſet tanto miraculo. Mira res: Dorchoram verſus illa iter ſuſcepit; & quamuis à multis aliò pelliceretur propoſitione pabuli, nunquam tamen conquieuit, donec eò peruenit, & hoſpitale oppidi ingreſſa, ſubſtitit in medio, ac genibus flexis eſt morata. ac ne quid poſthac dorſo exciperet minùs nobile, protinus exſpirauit. Innumera mortalium multitudo ad tantum ſpectaculum confluxit: & reſeruata lintea, cum particulis vſque ad hæc tempora incorruptis, ac ſanguine reſperſis, viſuntur, & quotannis publicè oſtenduntur: exſtantq́ publica monumenta, quibus tanta res eſt conſignata.*

ta. Hactenus Bozius. Eius meminit paucis Mariana l. 13. c. 1. ſed reijcit in annum milleſimum ducenteſimum quadrageſimum.

59. PARISIIS ITEM. Bozius ibidem hiſtoriam tradit ex Ioanne Villano Florentino, qui rei geſtæ tempus proximè ſecutus eſt. *Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octauo, cùm quidam Præsbyter ſacratiſsimam Miſſam Pariſiis celebraret, in ſacello quodam aulæ Regiæ, populoq; oſtendendam diuiniſsimam* EVCHARISTIAM *ſuſtuliſſet in altum, pro ſpecie panis, plurimi, qui aderant, conſpexere formoſiſsimum puerum. Quocirca nonnulli rogarunt Presbyterum, vt tamdiu ſubſiſteret manibus in altum porrectis, quoad rex acceſſeretur. Certior autem tanti miraculi factus Rex Ludouicus, negauit ſe eò profecturum; quòd non credentibus hæc ſigna exiſterent: ſibi verò perſuaſiſsimum, verè in* EVCHARISTIA CHRISTI CORPVS *eſſe.* Vtrumque miraculum omnino omittendum non cenſui; eò quòd Ribadeneyra his etiam impulſum credat Vrbanum, ad Feſtum hoc ſanciendum.

60. ITEM ET BONAVENTVRAE. Sancto Bonauenturæ commiſſum ab Vrbano Papâ Officium de VEN. SACRAMENTO ſcribendum, ita conſtans apud omnes eſt opinio, vt vix quenquam inuenerim, qui dubitaret: at, qui certum iſtius famæ autorem proderet, nemo fuit. Receptæ ta-

men ab omnibus traditioni, hoc tribueram, vt eâ ſolâ innixus, ſcripto mandarem; cùm tandem incidi in Iacobum Bourgeois, Prouincialem Ordinis S. Trinitatis, qui eo commentario, quem ſcripſit de Exordio huius Feſti, hiſtoriam hanc narrat: ſed neque hic, vnde hauſerit, prodit. Itaque quod communi ferme omnium ſermone fertur, ſcripſi: ſuum cuique relinquo iudicium.

61. Cap. 65. IVLIANA IAM ANTE. Blærus art. 7. hæc habet. Vrbanus *accerſitis Clericis, qui tum de Leodio ad Curiam venerant, didicit Iulianam diuerſis anguſtijs, & perſecutionibus iniquorum hominum, Leodium reliquiſſe, atque in partibus Namurcenſibus peregrinari.* In eâdem eſt opinione Chapeavillus c. 10. *Dum hæc geruntur, & S. Iuliana perſecutionem patiens, rem totam Deo commendat; fama ſpargitur, Iacobum de Trecis, Patriarcham Hieroſolymitanum, ad ſummum Pontificatum euectũ eſſe.* Certum eſt nihilominus, S. Iulianam diem ſuum obijſſe anno, ſupra milleſimum ducenteſimũ, quinquageſimo octauo: igitur anno ſexageſimo primo, quo Vrbanus Pontifex creatus eſt, non patiebatur perſecutionem, vt illis placet, ſed quiete iam in cælis æternâ fruebatur. multoque minùs vltimo ſui Pontificatus anno intelligere potuit Vrbanus, eam in partibus Namurcenſibus peregrinari, quæ ante ſex annos in patriam cæleſtem, poſt

poſt multiplex exilium peruenerat. Ego verò conſtanter aſſero, Iulianæ mortem Pontifici indicatam; quandoquidem ipſe, qui primam totius rei ducem fuiſſe Iulianam, ſatis Leodij perſpectum habuerat, nullâ iam eius factâ mentione, ad Euam eius in Chriſto filiam litteras dederit; Iulianam nunquam prætermiſſurus, ſi eam viuere comperiſſet. Mecum ſentit Molanus.

62. MAGNA FIDE ASSERVATVR. Hanc in eadem verba profert Blærus articulo nono. Fanius teſtatur ſe dare ex tabulario Martiniano non epiſtolæ verba, ſed argumentum.

63. Cap. 66. CONSTANTISSIME TOT ANNIS. Ita diſertè Blærus art. 6. *Vbi Cardinalis* (Hugo nimirum, vel Capoccius) *ſeſe in vrbem recepiſſet, præfati Canonici* (S. Lamberti) *ipſam ſolemnitatem fieri prohibuerunt.* * *His tamen non obſtantibus S. Martini Eccleſia, à conceptâ deuotione non receſſit.* Idem ſatis apertè Autor noſter, Faniuſque, pluribus locis. Chapeavillus tamen c. 14. Canonici S. Martini *intermiſſam aliquamdiu Feſtiuitatem reſumſerunt.* Neque quod habeat argumentum, vſquam profert. Nam quæ ſubijcit capita ex l. 2. Autoris noſtri, hanc eius opinionem nullo modo, ſed contrariam potiùs confirmant. Neque admodum probabile eſt eos, qui vnius Epiſcopi

 decreto

decreto paruerant, ceteris omnino reclamantibus, & fortaſſe ridentibus; poſteaquam duo confirmarunt Apoſtolici Legati, ingenſque animorum fructus exſtitit, inconſtanter tam pium deſeruiſſe inſtitutum.

64. Cap. 67. VIVERE DESIIT. Molanus triceſimo Sept. ait ex chronographo Bertinenſi, Vrbanum Trecis in patriâ ſuâ, vt Sanctum coli, poſitumque eidem à ciuibus, in loco ipſo natali templum. Papirius tamen Maſſonus l. 5. in Vrbano aliter ſentit. *Pontifex*, (inquit,) *quia deceſſor eius Alexander 4. in feſto B. Vrbani Martyris obijt, & ipſe eiuſdem Martyris nomine eſt vocatus, in ciuitate ſupradictâ Trecenſi, in domo paternâ, Eccleſiã in honorem eiuſdem B. Martyris Vrbani cõſtruere cœpit, è viuis lapidibus, & politis; in quâ duodecim Canonicorum numerus, & Decanatus dignitas eſt. Ordinatis eam decentibus poſſeſſionibus prædotauit: & intendebat, ſi vixiſſet, pluribus augmentare: ipſam nihilominus eximens, & immediatè ad Romanam Eccleſiam ſuis magnis, & miris priuilegijs ſpectare declarans.* Idem prorſus Thierricus Vallicolor apud eundem Maſſonum: cui eo plus tribuendum eſt, quòd ad Antherum Cardinalem nepotem Vrbani 4. ſcripſit eius vitam, quam magnâ ex parte oculis vſurparet. Nullo igitur modo probabile eſt, Vrbanum apud Trecenſes in tantâ fuiſſe ſan-

ctitatis

ctitatis opinione, vt publicos honores obtineret: cùm Itali, qui viuentem nouerant, viderantque morientem, eiuſmodi nihil publicè decreuerint: ſi autem decreuiſſent, ignorare non potuiſſet Vallicolor, neque vnquam prætериjſſet.

65. ALIAE PER GERMANIAM FRANCIAMQVE ECCLESIAE. Blærus art. 9. *Omnes Eccleſiæ obedire* (decreto Vrbani) *diſſimulauerunt, præter Eccleſiam Leodienſem.* Hìc quidem duobus antè annis receptum fuiſſe Feſtum, iam probauimus: ſed aliam præterea nullam Eccleſiam paruiſſe, non equidem exiſtimo, inductus autoritate Hocſemij, cui plus tribuo, quàm Blero; quia duobus ferme ſeculis præceſsit, & quadrageſimum ætatis annum attigerat, quando communi conſenſu vniuerſa Eccleſia paruit iuſsioni Ioannis 22. Vir ergo tantus, qui varijs regionibus peragratis, Aureliæ (non etiam Louanij, vt placet Chapeavillo, qui cùm Hocſemium aſſerat natum anno 1278. Academiam verò Louanienſem anno demum 1426. conditam eſſe, quomodo fieri poteſt, vt Iuriſprudentiæ operam dederit Louanij?) Iuriſprudentiam didicerat, immò docuerat publicè, ignorantiæ rerum in oculis geſtarum argui non debet: hic ergo c. 6. ita loquitur: *Continuè per plures Eccleſias in Germaniâ, & Franciâ, à Clero, & populo celebratum* (FESTVM

COR-

CORPORIS CHRISTI;) *ſed demum per alias vniuerſaliter Eccleſias recipitur, cùm Ioannes Papa 22. &c.*

66. RODOLFVS 3. COMES HABSPVRGI. Hanc hiſtoriam habui ex Iacobo Guſman Patriarcha Indiarum, in vitâ Margaretæ Auſtriacæ Reginæ Hiſpaniarum p. 2. c. 8. qui ſumſit ex Franciſco Guliman, de origine domus Auſtriacæ l. 6. c. 4. Eandem tradidere Albertus Vidmanſtadius in præfatione ad epiſtolas Pauli, & Mathias Galenus Duac: Cancellarius Catecheſi 151. ex chronico Sueuiæ. Ego adſcripſi huic anno, quia creatus eſt Imperator Rodolfus anno ſeptuageſimo tertio: igitur anno ſexageſimo quarto præclarum hoc religionis exemplum poſteritati reliquit, vt nono anno mercedem à Deo receperit.

67. Cap. 68. BEGVARDORVM, AC BEGVINARVM. *Erant Beguardi*, inquit Bellarminus 2. p. Chronologiæ, ſub annum milleſimum ducenteſimum nonageſimum nonum, *Monachi, & Beguinæ moniales, ſed abſque votis*, & turpibus erroribus impliciti; quos à Concilio Viennenſi damnatos, ex Antonino 3. p. tit. 11. c. 3. §. 2. hic ſubijcio, vt perpendas firmamentum impiæ ſententiæ aduerſus Sacroſanctam EVCHARISTIAM. *1. Eſt, quòd homo, in vitâ præſenti tantum, & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quòd reddetur penitus impeccabilis, &*

amplius

ampliùs in gratiâ proficere non valebit. nam, vt dicunt, ſi quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inueniri. 2. eſt, quòd ieiunare hominem non oportet, vel orare, poſtquam gradum perfectionis huius fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas ita eſt perfectè ſpiritui, & rationi ſubiecta, quòd homo poteſt liberè concedere corpori, quidquid placet. 3. eſt, quòd illi, qui ſunt in illo gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligātur; quia, vt aſſerunt, vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. 4. eſt, quòd homo ita poteſt finalem beatitudinem, ſecundum omnem gradum perfectionis, in præſenti aſſequi, ſicut eam in vitâ æternâ obtinebit. 5. eſt, quòd qualibet intellectualis natura in ſeipsâ naturaliter eſt beata: quòdq; anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. 6. eſt, hominem in virtutum actibus ſe exercere, eſt hominis imperfecti, quia anima perfecti licentiat à ſe virtutes. 7. eſt, quòd mulieris oſculum, cùm ad hoc non inclinet natura, eſt mortale peccatum. actus autem carnalis, cùm ad hoc inclinet natura, non eſt peccatum; maximè cùm tentatur exercens. 8. in eleuatione CORPORIS IESV CHRISTI, non debet talis exſurgere, aut ei reuerentiam exhibere. Aſſerunt enim, quòd eſſet imperfectionis eiſdem, ſi à puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantùm deſcenderent, quòd circa Sacramentum EVCHARISTIAE,
aut

aut circa Paſsionem Humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.

68. CIRCVMFERRETVR PER VRBIVM VICOS. Supplicationem non eſſe ab Vrbano, quemadmodum Molanus ait 5. Aprilis, videtur conſtare ex eius diplomate, in quo nulla huius fit mentio. Vnde Serarius l. 2. de Supplicationibus c. 9. Ioannem 22. aſſerit autorem, ex Blæro art. 9. vbi ſic habet. *Vltra illas ordinationes Vrbani 4. Clementinis cōſtitutionibus inſertas, nouas indulgentias conceſsit, atque proceſsionē ordinauit* Ioannes 22. Idem aſſerit Ioannes VVarnantius ad annum 1317. in hunc modum. *Feſtum Sacramenti, prout Eccleſia Leod. in ſuâ Diœceſi ab Vrbano quarto Pontifice Rom. vſque ad præſens tempus celebrare conſueuerat, Papa Ioannes per vniuerſam Eccleſiam coli inſtituit: hoc addens, quòd ſolemnis ſupplicatio, in quâ Sacramentum Altaris, id eſt* CORPVS CHRISTI *circumferatur, eodem die fiat.*

69. Cap. 69. ANNVS VERTEBATVR MILLESIMVS TRECENTESIMVS DECIMVS OCTAVVS. Creatus eſt Pontifex Ioannes 22. anno ſeculi decimo ſexto. publico dediſſe Clementinas, ſui Pontificatus anno ſecundo, octauo calendas Nouemb. teſtatur in ſuâ præfatione ad eaſdem Clementinas. ergo non niſi tertio eius anno, qui fuit decimus octauus, inſtitutum Feſtum ſtatuto die celebrari potuit.

70.


Digitized by Google

70. ANNO 1417. PROPTER INFAME SCHISMA. Hoc anno Martinus 5. Pontifex creatus eſt in Concilio Conſtantienſi; quod ſtatim, quia pax Eccleſiæ reddita eſſet, dimiſſum eſt. Non igitur rectè Chapeavillus ait c. 16. *Martinum 5. in Conſtantienſi Synodo Indulgentias ab Vrbano conceſſas geminaſſe*, quandoquidem ipſe Martinus teſtetur, editam à ſe Conſtitutionem illam, anno ſui Pontificatus duodecimo, qui erat Chriſti milleſimus quadringenteſimus vigeſimus nonus.

FINIS.

ORIO EMANUELE
OTECA IN ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA